# OPUSCULA OMNIA

# SANCTI FRANCISCI ASSISIENSIS

## INDEX:

Admonitiones [Adm]

Audite, Poverelle [Audite]

Benedictio fratri Bernardo [BenBern]

Benedictio sanctae Clarae [BenCl]

Benedictio fratri Leoni data [BenLeo]

Canticum fratis Solis [CantSol]

Epistola ad sanctum Antonium [EpAnt]

Epistola civibus Bononiensibus [EpBon]

Epistola s. Clarae de ieiunio [EpCl]

Epistola ad Clericos I [EpCler1]

Epistola ad Clericos II [EpCler2]

Epistola ad Custodes I [EpCust1]

Epistola ad Custodes II [EpCust2]

Epistola ad Fideles I [EpFid1]

Epistola ad Fideles II [EpFid2]

Epistola fratribus Franciae [EpFranc]

Epistola dominae Jacobae [EpJac]

Epistola ad fratrem Leonem [EpLeo]

Epistola ad Ministrum [EpMin]

Epistola toti Ordini missa [EpOrd]

Epistola ad populorum Rectores [EpRect]

Exhortatio ad Laudem Dei [ExhLD]

Expositio in Pater noster [ExpPat]

Forma Vivendi S. Clarae [FormViv]

Fragmenta alterius Regulae [Fragm]

Laudes Dei altissimi [LaudDei]

Laudes ad omnes Horas [LaudHor]

Officium Passionis Domini [OffPass]

Oratio ante Crucifixum dicta [OrCruc]

Regula Bullata [RegB]

Regula non Bullata [RegNB]

Regula pro Eremitoriis [RegEr]

Salutatio B. Mariae Virginis [SalBMV]

Salutatio Virtutum [SalVirt]

Testamentum [Test]

Testamentum Senis factum [TestSen]

Ultima Voluntas S. Clarae [UltVol]

De Vera et perfecta laetitia [VPLaet]

## **ADMONITIONES** [Adm]

[Cap. I: De corpore Domini]

[1]Dicit Dominus Jesus discipulis suis: *Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me.* [2]*Si* cognosceretis *me, et Patrem meum utique* cognosceretis; *et amodo cognoscetis eum et vidistis eum.* [3]*Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis.* [4]*Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem* (Joa 14,6-9) meum. [5]Pater *lucem* habitat *inaccessibilem* (cfr. 1 Tim 6,16), et *spiritus est Deus* (Joa 4,24), et *Deum nemo vidit unquam* (Joa 1,18). [6]Ideo nonnisi in spiritu videri potest, quia *spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam* (Joa 6,64). [7]Sed nec filius in eo, quod aequalis est Patri, videtur ab aliquo aliter quam Pater, aliter quam Spiritus Sanctus. [8]Unde omnes qui viderunt Dominum Jesum secundum humanitatem et non viderunt et crediderunt secundum spiritum et divinitatem, ipsum esse verum Filium Dei, damnati sunt. [9]Ita et modo omnes qui vident sacramentum, quod sanctificatur per verba Domini super altare per manum sacerdotis in forma panis et vini, et non vident et credunt secundum spiritum et divinitatem, quod sit veraciter sanctissimum corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi, damnati sunt, [10]ipso Altissimo attestante, qui ait: *Hoc est corpus meum* et *sanguis* mei *novi testamenti* [*qui pro multis effundetur*] (cfr. Mc 14,22.24); [11]et: *Qui manducat* carnem meam *et bibit* sanguinem meum, *habet vitam aeternam* (cfr. Joa 6,55). [12]Unde spiritus Domini, qui habitat in fidelibus suis, ille est qui recipit sanctissimum corpus et sanguinem Domini. [13]Omnes alii, qui non habent de eodem spiritu et praesumunt recipere eum, *iudicium sibi* manducant *et* bibunt (cfr. 1 Cor 11,29).

[14]Unde: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* (Ps 4,3). [15]Ut quid non cognoscitis veritatem et creditis *in Filium Dei* (cfr. Joa 9,35)? [16]Ecce, quotidie humiliat se (cfr. Phil 2,8), sicut quando *a regalibus sedibus* (Sap 18,15) venit in uterum Virginis; [17]quotidie venit ad nos ipse humilis apparens; [18]quotidie descendit de *sinu Patris* (cfr. Joa 1,18) super altare in manibus sacerdotis. [19]Et sicut sanctis apostolis in vera carne, ita et modo se nobis ostendit in sacro pane. [20]Et sicut ipsi intuitu carnis suae tantum eius carnem videbant, sed ipsum Deum esse credebant oculis spiritualibus contemplantes, [21]sic et nos videntes panem et vinum oculis corporeis videamus et credamus firmiter, eius sanctissimum corpus et sanguinem vivum esse et verum. [22]Et tali modo semper est Dominus cum fidelibus suis, sicut ipse dicit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* (cfr. Mt 28,20).

[Cap. II: De malo propriae voluntatis]

[1]Dixit Dominus ad Adam: De *omni ligno comede, de ligno autem scientiae boni et mali* non *comedas* (cfr. Gen 2,16.17). [2]De omni ligno paradisi poterat comedere, quia, dum non venit contra obedientiam, non peccavit. [3]Ille enim comedit de ligno scientiae boni, qui sibi suam voluntatem appropriat et se exaltat de bonis, quae Dominus dicit et operatur in ipso; [4]et sic per suggestionem diaboli et transgressionem mandati factum est pomum scientiae mali. [5]Unde oportet, quod sustineat poenam.

[Cap. III: De perfecta obedientia]

[1]Dicit Dominus in Evangelio: *Qui non* renuntiaverit *omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus* (Lc 14,33); [2]et: *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet illam* (Lc 9,24). [3]Ille homo relinquit omnia, quae possidet, et perdit corpus suum, qui se ipsum totum praebet ad obedientiam in manibus sui praelati. [4]Et quidquid facit et dicit, quod ipse sciat, quod non sit contra voluntatem eius, dum bonum sit quod facit, vera obedientia est. [5]Et si quando subditus videat meliora et utiliora animae suae quam ea, quae sibi praelatus praecipiat, sua voluntarie Deo

sacrificet; quae autem sunt praelati, opere studeat adimplere. [6]Nam haec est caritativa obedientia (cfr. 1 Petr 1,22), quia Deo et proximo satisfacit.

[7]Si vero praelatus aliquid contra animam suam praecipiat, licet ei non obediat, tamen ipsum non dimittat. [8]Et si ab aliquibus persecutionem inde sustinuerit, magis eos diligat propter Deum. [9]Nam qui prius persecutionem sustinet, quam velit a suis fratribus separari, vere permanet in perfecta obedientia, quia ponit *animam suam* (cfr. Joa 15,13) pro fratribus suis. [10]Sunt enim multi religiosi, qui sub specie meliora videndi quam quae sui praelati praecipiunt, retro aspiciunt (cfr. Lc 9,62) et *ad vomitum* propriae voluntatis redeunt (cfr. Prov 26,11; 2 Petr 2,22); [11]hi homicidae sunt et propter mala sua exempla multas animas perdere faciunt.

[Cap. IV: Ut nemo appropriet sibi praelationem]

[1]*Non* veni *ministrari, sed ministrare* (cfr. Mt 20,28), dicit Dominus. [2]Illi qui sunt super alios constituti, tantum de illa praelatione glorientur, quantum si essent in abluendi fratrum pedes officio deputati. [3]Et quanto magis turbantur de ablata sibi praelatione quam de pedum officio, tanto magis sibi *loculos* ad periculum animae componunt (cfr. Joa 12,6).

[Cap. V: Ut nemo superbiat,

sed glorietur in cruce Domini]

[1]Attende, o homo, in quanta excellentia posuerit te Dominus Deus, quia creavit et formavit te *ad imaginem* dilecti Filii sui secundum corpus *et similitudinem* (cfr. Gen 1,26) secundum spiritum. [2]Et omnes creaturae, quae sub caelo sunt, secundum se serviunt, cognoscunt et obediunt Creatori suo melius quam tu. [3]Et etiam daemones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum et adhuc crucifigis delectando in vitiis et peccatis. [4]Unde ergo potes gloriari? [5]Nam si tantum esses subtilis et sapiens quod *omnem scientiam* (cfr. 1 Cor 13,2) haberes et scires interpretari omnia *genera linguarum* (cfr. 1 Cor 12,28) et subtiliter de caelestibus rebus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari; [6]quia unus daemon scivit de caelestibus et modo scit de terrenis plus quam omnes homines, licet aliquis fuerit, qui summae sapientiae cognitionem a Domino receperit specialem. [7]Similiter et si esses pulchrior et ditior omnibus et etiam si faceres mirabilia, ut daemones fugares, omnia ista tibi sunt contraria et nihil ad te pertinet et in his nil potes gloriari; [8]sed in hoc possumus gloriari *in infirmitatibus* nostris (cfr. 2 Cor 12,5) et baiulare quotidie sanctam crucem Domini nostri Jesu Christi (cfr. Lc 14,27).

[Cap. VI: De imitatione Domini]

[1]Attendamus, omnes fratres, bonum pastorem, qui pro ovibus suis salvandis crucis sustinuit passionem. [2]Oves Domini secutae fuerunt eum in tribulatione et persecutione, verecundia et fame, in infirmitate et tentatione et ceteris aliis; et de his receperunt a Domino vitam sempiternam. [3]Unde magna verecundia est nobis servis Dei, quod sancti fecerunt opera et nos recitando ea volumus recipere gloriam et honorem.

[Cap. VII: Ut bona operatio sequatur scientiam]

[1]Dicit apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (2 Cor 3,6). [2]Illi sunt mortui a littera, qui tantum sola verba cupiunt scire, ut sapientiores teneantur inter alios et possint acquirere magnas divitias dantes consanguineis et amicis. [3]Et illi religiosi sunt mortui a littera, qui spiritum divinae litterae nolunt sequi, sed solum verba magis cupiunt scire et aliis interpretari. [4]Et illi sunt vivificati a spiritu divinae litterae, qui omnem litteram, quam sciunt et cupiunt scire, non

attribuunt corpori, sed verbo et exemplo reddunt ea altissimo Domino Deo, cuius est omne bonum.

[Cap. VIII: De peccato invidiae vitando]

[1]Ait apostolus: *Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto* (1 Cor 12,3); [2]et: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (Rom 3,12). [3]Quicumque ergo invidet fratri suo de bono, quod Dominus dicit et facit in ipso, pertinet ad peccatum blasphemiae, quia ipsi Altissimo invidet (cfr. Mt 20,15), qui dicit et facit omne bonum.

[Cap. IX: De dilectione]

[1]Dicit Dominus: *Diligite inimicos vestros* [*benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos*] (Mt 5,44). [2]Ille enim veraciter diligit inimicum suum, qui non dolet de iniuria, quam sibi facit, [3]sed de peccato animae suae uritur propter amorem Dei. [4]Et ostendat ei ex operibus dilectionem.

[Cap. X: De castigatione corporis]

[1]Multi sunt, qui dum peccant vel iniuriam recipiunt, saepe inculpant inimicum vel proximum. [2]Sed non est ita: quia unusquisque in sua potestate habet inimicum, videlicet corpus, per quod peccat. [3]Unde *beatus ille servus* (Mt 24,46), qui talem inimicum traditum in sua potestate semper captum tenuerit et sapienter se ab ipso custodierit; [4]quia dum hoc fecerit, nullus alius inimicus visibilis vel invisibilis ei nocere poterit.

[Cap. XI: Ut nemo corrumpatur malo alterius]

[1]Servo Dei nulla res displicere debet praeter peccatum. [2]Et quocumque modo aliqua persona peccaret, et propter hoc servus Dei non ex caritate turbaretur et irasceretur, thesaurizat sibi culpam (cfr. Rom 2,5). [3]Ille servus Dei, qui non irascitur neque conturbat se pro aliquo recte vivit sine proprio. [4]Et beatus est, qui non remanet sibi aliquid reddens *quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo* (Mt 22,21).

[Cap. XII: De cognoscendo spiritu Domini]

[1]Sic potest cognosci servus Dei, si habet de spiritu Domini: [2]cum Dominus operaretur per ipsum aliquod bonum, si caro eius non inde se exaltaret, quia semper est contraria omni bono, [3]sed si magis ante oculos se haberet viliorem et omnibus aliis hominibus minorem se existimaret.

[Cap. XIII: De patientia]

[1]*Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Mt 5,9). Non potest cognoscere servus Dei, quantam habeat patientiam et humilitatem in se, dum satisfactum est sibi. [2]Cum autem venerit tempus, quod illi qui deberent sibi satisfacere, faciunt sibi contrarium, quantam ibi patientiam et humilitatem tantam habet et non plus.

[Cap. XIV: De paupertate spiritus]

[1]*Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum* (Mt 5,3). [2]Multi sunt, qui orationibus et officiis insistentes multas abstinentias et afflictiones in suis corporibus faciunt, [3]sed de solo verbo, quod videtur esse iniuria suorum corporum vel de aliqua re, quae sibi

auferretur, scandalizati continuo perturbantur. [4]Hi non sunt pauperes spiritu; quia qui vere pauper est spiritu, se ipsum odit et eos diligit qui eum percutiunt in maxilla (cfr. Mt 5,39).

[Cap. XV: De pace]

[1]*Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Mt 5,9). [2]Illi sunt vere pacifici, qui de omnibus, quae in hoc saeculo patiuntur, propter amorem Domini nostri Jesu Christi in animo et corpore pacem servant.

[Cap. XVI: De munditia cordis]

[1]*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Mt 5,8). [2]Vere mundo corde sunt qui terrena despiciunt, caelestia quaerunt et semper adorare et videre Dominum Deum vivum et verum mundo corde et animo non desistunt.

[Cap. XVII: De humili servo Dei]

[1]*Beatus ille servus* (Mt 24,46), qui non magis se exaltat de bono, quod Dominus dicit et operatur per ipsum, quam quod dicit et operatur per alium. [2]Peccat homo, qui magis vult recipere a proximo suo, quam non vult dare de se Domino Deo.

[Cap. XVIII: De compassione proximi]

[1]Beatus homo, qui sustinet proximum suum secundum suam fragilitatem in eo, quod vellet sustineri ab ipso, si in consimili casu esset (cfr. Gal 6,2; Mt 7,12). [2]Beatus servus, qui omnia bona reddit Domino Deo, quia qui sibi aliquid retinuerit *abscondit* in se *pecuniam Domini* Dei *sui* (Mt 25,18) et *quod* putabat *habere, auferetur ab* eo (Lc 8,18).

[Cap. XIX: De humili servo Dei]

[1]Beatus servus, qui non tenet se meliorem, quando magnificatur et exaltatur ab hominibus, sicuti quando tenetur vilis, simplex et despectus, [2]quia quantum est homo coram Deo, tantum est et non plus. [3]Vae illi religioso, qui ab aliis positus est in alto et per suam voluntatem non vult descendere. [4]Et *beatus ille servus* (Mt 24,46), qui non per suam voluntatem ponitur in alto et semper desiderat esse sub pedibus aliorum.

[Cap. XX: De bono et vano religioso]

[1]Beatus ille religiosus, qui non habet iucunditatem et laetitiam nisi in sanctissimis eloquiis et operibus Domini [2]et cum his producit homines ad amorem Dei cum gaudio et laetitia (cfr. Ps 50,10). [3]Vae illi religioso, qui delectat se in verbis otiosis et vanis et cum his producit homines ad risum.

[Cap. XXI: De inani et loquaci religioso]

[1]Beatus servus, qui quando loquitur, sub specie mercedis omnia sua non manifestat et non est velox ad loquendum (cfr. Prov 29,20), sed sapienter providet, quae debet loqui et respondere. [2]Vae illi religioso, qui bona, quae Dominus sibi ostendit, non retinet in corde suo (cfr. Lc 2,19.51) et aliis non ostendit per operationem, sed sub specie mercedis magis hominibus verbis cupit ostendere. [3]Ipse recipit *mercedem suam* (cfr. Mt. 6,2.16) et audientes parum fructum reportant.

[Cap. XXII: De correctione]

[1]Beatus servus, qui disciplinam, accusationem et reprehensionem ita patienter ab aliquo sustineret sicut a semetipso. [2]Beatus servus, qui reprehensus benigne acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur et libenter satisfacit. [3]Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum et humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.

[Cap. XXIII: De humilitate]

[1]Beatus servus, qui ita inventus est humilis inter subditos suos, sicuti quando esset inter dominos suos. [2]Beatus servus, qui semper permanet sub virga correctionis. [3]Fidelis et prudens servus est (cfr. Mt 24,45), qui in omnibus suis offensis non tardat interius punire per contritionem et exterius per confessionem et operis satisfactionem.

[Cap. XXIV: De vera dilectione]

Beatus servus, qui tantum diligeret fratrem suum, quando est infirmus, quod non potest ei satisfacere, quantum quando est sanus, qui potest ei satisfacere.

[Cap. XXV: Item de eodem]

Beatus servus, qui tantum diligeret et timeret fratrem suum, cum esset longe ab ipso, sicuti quando esset cum eo, et non diceret aliquid post ipsum, quod cum caritate non posset dicere coram ipso.

[Cap. XXVI: Ut servi Dei honorent clericos]

[1]Beatus servus, qui portat fidem in clericis, qui vivunt recte secundum formam Ecclesiae Romanae. [2]Et vae illis qui ipsos despiciunt; licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos iudicare, quia ipse solus Dominus reservat sibi ipsos ad iudicandum. [3]Nam quantum est maior administratio eorum, quam habent de sanctissimo corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, quod ipsi recipiunt et ipsi soli aliis ministrant, [4]tantum plus peccatum habent, qui peccant in ipsis, quam in omnibus aliis hominibus istius mundi.

[Cap. XXVII: De virtute effugante vitio]

[1]Ubi caritas est et sapientia, ibi nec timor nec ignorantia.

[2]Ubi est patientia et humilitas, ibi nec ira nec perturbatio.

[3]Ubi est paupertas cum laetitia, ibi nec cupiditas nec avaritia.

[4]Ubi est quies et meditatio, ibi neque sollicitudo neque vagatio.

[5]Ubi est timor Domini ad *atrium suum* custodiendum (cfr. Lc 11,21), ibi inimicus non potest habere locum ad ingrediendum.

[6]Ubi est misericordia et discretio, ibi nec superfluitas nec induratio.

[Cap. XXVIII: De abscondendo bono ne perdatur]

[1]Beatus servus, qui thesaurizat *in caelo* (cfr. Mt 6,20) bona, quae Dominus sibi ostendit et sub specie mercedis non cupit manifestare hominibus, [2]quia ipse altissimus manifestabit opera eius quibuscumque placuerit. [3]Beatus servus, qui secreta Domini observat *in corde suo* (cfr. Lc 2,19.51).

---

## **«AUDITE, POVERELLE»** [Audite]

[1]Audite, poverelle dal Signór[e] vocáte,
ke de multe parte et provincie séte adunáte:
vivate sémpre en-veritáte,
ke en obediéntïa morïáte.

[2]Non guardate a la víta de-fóre,
ka quella dello spírito è-miglióre.
Io ve prégo per-grand'amóre
k'aiáte discrecïóne de le lemosene ke ve dà-el Segnór[e].

[3]Quelle ke sunt adgravate de ínfirmitáte
et l'altre ke per lor[o] s[u]ò ádfatigáte,
tutte quante lo sostengáte en-páce,

[4]Ka multo ve[n]deri[te] cara quésta fa[t]íga,
ka cascúna serà-regína en celo coronata cum la Vérgene María.

---

## **BENEDICTIO FRATRI BERNARDO DATA** [BenBern]

[1]Scribe, sicut dico tibi: [2]Primus frater, quem dedit mihi Dominus, fuit frater Bernardus, et: qui primo incepit et complevit perfectissime perfectionem sancti evangelii distribuendo bona sua omnia pauperibus; [3]propter quod et propter multas alias praerogativas teneor ipsum magis diligere quam aliquem fratrem totius religionis. [4]Unde volo et praecipio, sicut possum, quod, quicumque fuerit generalis minister, ipsum diligat et honoret tamquam me ipsum, [5]et etiam alii ministri provinciales et fratres totius religionis ipsum teneant vice mea.

---

## **BENEDICTIO S. CLARAE ET EIUS SORORIBUS IN SCIPTIS MISSA** [BenCl]

[1]...ad consolandam ipsam scripsit ei per litteram [2]suam benedictionem ac etiam absolvit ipsam ab omni defectu, si quem habuisset, in eius mandatis et voluntatibus et mandatis et voluntatibus Filii Dei.

---

## **BENEDICTIO FRATRI LEONI DATA** [BenLeo]

1*Benedicat tibi Dominus et custodiat te; ostendat faciem suam tibi et misereatur tui*. 2*Convertat vultum suum ad te et det tibi pacem* (Num 6,24-26). 3Dominus benedicat, frater Leo, te (cfr. Num 6,27b).

---

## **CANTICUM FRATRIS SOLIS** [CantSol]
vel
LAUDES CREATURARUM

1Altissimu onnipotente bon signore,
tue so le laude, la gloria e l'onore et onne benedictione.

2Ad te solo, altissimo, se konfano,
et nullu homo ene dignu te mentovare.

3Laudato sie, mi signore, cun tucte le tue creature,
spetialmente messor lo frate sole,

lo qual'è iorno, et allumini noi per loi.

4Et ellu è bellu e radiante con grande splendore,
de te, altissimo, porta significatione.

5Laudato si, mi signore, per sora luna e le stelle,
in celu l'ài formate clarite et pretiose et belle.

6Laudato si, mi signore, per frate vento,
et per aere et nubilo et sereno et onne tempo,
per lo quale a le tue creature dai sustentamento.

7Laudato si, mi signore, per sor aqua,
la quale è multo utile et humile et pretiosa et casta.

8Laudato si, mi signore, per frate focu,
per lo quale enn'allumini la nocte,
ed ello è bello et iocundo et robustoso et forte.

9Laudato si, mi signore, per sora nostra matre terra,
la quale ne sustenta et governa,
et produce diversi fructi con coloriti flori et herba.

10Laudato si, mi signore, per quelli ke perdonano per lo tuo amore,
et sostengo infirmitate et tribulatione.

[11]Beati quelli ke 'l sosterrano in pace,
ka da te, altissimo, sirano incoronati.

[12]Laudato si, mi signore, per sora nostra morte corporale,
da la quale nullu homo vivente po' skappare.

[13]Guai a quelli, ke morrano ne le peccata mortali:
beati quelli ke trovarà ne le tue sanctissime voluntati,
ka la morte secunda nol farrà male.

[14]Laudate et benedicete mi signore,
et rengratiate et serviateli cun grande humilitate.

---

## **EPISTOLA AD SANCTUM ANTONIUM** [EpAnt]

[1]Fratri Antonio episcopo meo frater Franciscus salutem. [2]Placet mihi quod sacram theologiam legas fratribus, dummodo inter huius studium orationis et devotionis spiritum non exstinguas, sicut in regula continetur.

---

## **EPISTOLA CIVIBUS BONONIENSIBUS SCRIPTA** [EpBon]

Dixit etiam [scl. fr. Martinus de Bartona] quod frater quidam, qui stetit in oratione Brixiae in die Natali Domini, in terrae motu, quem praedixerat sanctus Franciscus et per omnes scholas Bononiae per fratres praedicari fecerat, per litteram, in qua fuit falsum Latinum, et ecclesia corruit, sub ruina lapidum illaesus inventus est.

---

## **EPISTOLA S. CLARAE DE IEIUNIO SCRIPTA** [EpCl]

[1]Super his autem, quae me iam tibi reserare mandasti, quae scilicet essent festa, quae forte ut te opinor aliquatenus aestimasse in varietate ciborum gloriosissimus pater noster sanctus Franciscus nos celebrare specialiter monuisset, caritati tuae duxi respondendum: [2]Noverit quidem tua prudentia, quod praeter debiles et infirmas, quibus de quibuscumque cibariis omnem discretionem quam possemus facere nos monuit et mandavit, nulla nostrum sana et valida nisi cibaria quadragesimalia tantum, tam in diebus ferialibus quam festivis, manducare deberet, die quolibet ieiunando exceptis diebus dominicis et Natalis Domini, in quibus bis in die comedere deberemus. [3]Et in diebus quoque Jovis solitis temporibus pro voluntate cuiuslibet, ut quae scilicet nollet, ieiunare non teneretur. [4]Nos tamen sanae ieiunamus cotidie praeter dies dominicos et Natalis. [5]In omni vero Pascha, ut scriptum beati Francisci dicit, et festivitatibus sanctae Mariae ac sanctorum Apostolorum ieiunare etiam non tenemur, nisi haec festa in sexta feria evenirent;

[6]et sicut praedictum est, semper, quae sanae sumus et validae, cibaria quadragesimalia manducamus.

---

## **EPISTOLA AD CLERICOS I** [EpCler1]
(Recensio prior)

[1]Attendamus, omnes clerici, magnum peccatum et ignorantiam, quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi et sacratissima nomina et verba eius scripta, quae sanctificant corpus. [2]Scimus, quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur a verbo. [3]Nihil enim habemus et videmus corporaliter in hoc saeculo de ipso Altissimo nisi corpus et sanguinem, nomina et verba, per quae facti sumus et redempti *de morte ad vitam* (1 Joa 3,14). [4]Omnes autem illi qui ministrant tam sanctissima mysteria, considerent intra se, maxime hi qui illicite ministrant, quam viles sint calices, corporales et linteamina, ubi sacrificatur corpus et sanguis eiusdem. [5]Et a multis in locis vilibus collocatur et relinquitur, miserabiliter portatur et indigne sumitur et indiscrete aliis ministratur. [6]Nomina etiam et verba eius scripta aliquando pedibus conculcantur; [7]quia *animalis homo non percipit ea quae Dei sunt* (1 Cor 2,14). [8]Non movemur de his omnibus pietate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se praebeat et eum tractemus et sumamus quotidie per os nostrum? [9]An ignoramus, quia venire debemus in manus eius? [10]Igitur de his omnibus et aliis cito et firmiter emendemus; [11]et ubicumque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi illicite collocatum et relictum, removeatur de loco illo et in loco pretioso ponatur et consignetur. [12]Similiter nomina et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari. [13]Haec omnia usque in finem universi clerici tenentur super omnia observare. [14]Et qui hoc non fecerint, sciant se debere coram Domino nostro Jesu Christo *in die iudicii* reddere *rationem* (cfr. Mt 12,36). [15]Hoc scriptum, ut melius debeat observari, sciant se benedictos a Domino Deo, qui illud fecerint exemplari.

---

## **EPISTOLA AD CLERICOS II** [EpCler2]
(Recensio posterior)

[1]Attendamus, omnes clerici, magmum peccatum et ignorantiam, quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi et sacratissima nomina et verba eius scripta, quae sanctificant corpus. [2]Scimus, quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur a verbo. [3]Nihil enim habemus et videmus corporaliter in hoc saeculo de ipso Altissimo, nisi corpus et sanguinem, nomina et verba, per quae facti sumus et redempti *de morte ad vitam* (1 Joa 3,14). [4]Omnes autem illi qui ministrant tam sanctissima ministeria, considerent intra se, maxime hi qui indiscrete ministrant, quam viles sint calices, corporalia et linteamina, ubi sacrificatur corpus et sanguis Domini nostri. [5]Et a multis in locis vilibus relinquitur, miserabiliter portatur et indigne sumitur et indiscrete aliis ministratur. [6]Nomina etiam et verba eius scripta aliquando pedibus conculcantur; [7]quia *animalis homo non percipit ea quae Dei sunt* (1 Cor 2,14). [8]Non movemur de his omnibus pietate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se praebeat et eum tractemus et sumamus quotidie per os nostrum? [9]An ignoramus, quia debemus venire in manus eius? [10]Igitur de his omnibus et aliis cito et firmiter emendemus; [11]et ubicumque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi illicite collocatum et relictum, removeatur

de loco illo et in loco pretioso ponatur et consignetur. [12]Similiter nomina et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari. [13]Et scimus, quia haec omnia tenemur super omnia observare secundum praecepta Domimi et constitutiones sanctae matris Ecclesiae. [14]Et qui hoc non fecerit, sciat, se coram Domino nostro Jesu Christo *in die iudicii* reddere *rationem* (cfr. Mt 12,36). [15]Hoc scriptum, ut melius debeat observari, sciant se benedictos a Domino Deo, qui ipsum fecerint exemplari.

---

## **EPISTOLA AD CUSTODES I** [EpCust1]

[1]Universis custodibus fratrum minorum, ad quos litterae istae pervenerint, frater Franciscus in Domino Deo vester servus et parvulus, salutem cum novis signis caeli et terrae, quae magna et excellentissima sunt apud Deum et a multis religiosis et aliis hominibus minima reputantur.

[2]Rogo vos plus quam de me ipso, quatenus, cum decet et videritis expedire, clericis humiliter supplicetis, quod sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi et sancta nomina et verba eius scripta, quae sanctificant corpus, super omnia debeant venerari. [3]Calices, corporalia, ornamenta altaris et omnia, quae pertinent ad sacrificium, pretiosa habere debeant. [4]Et si in aliquo loco sanctissimum corpus Domini fuerit pauperrime collocatum, iuxta mandatum Ecclesiae in loco pretioso ab eis ponatur et consignetur et cum magna veneratione portetur et cum discretione aliis ministretur. [5]Nomina etiam et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari. [6]Et in omni praedicatione, quam facitis, de poenitentia populum moneatis, et quod nemo potest salvari, nisi qui recipit sanctissimum corpus et sanguinem Domini (cfr. Joa 6,54). [7]Et, quando a sacerdote sacrificatur super altare et in aliqua parte portatur, omnes gentes flexis genibus reddant laudes, gloriam et honorem Domino Deo vivo et vero. [8]Et de laude eius ita omnibus gentibus annuntietis et praedicetis, ut omni hora et quando pulsantur campanae semper ab universo populo omnipotenti Deo laudes et gratiae referantur per totam terram.

[9]Et, ad quoscumque fratres meos custodes pervenerit hoc scriptum et exemplaverint et apud se habuerint et pro fratribus, qui habent officium praedicationis et custodiam fratrum, fecerint exemplari et omnia, quae continentur in hoc scripto, praedicaverint usque in finem, sciant se habere benedictionem Domini Dei et meam. [10]Et ista sint eis per veram et sanctam obedientiam. Amen.

---

## **EPISTOLA AD CUSTODES II** [EpCust2]

[1]Universis custodibus fratrum minorum, ad quos istae litterae pervenerint, frater Franciscus, minimus servorum Dei salutem et sanctam pacem in Domino.

[2]Scitote, quod in conspectu Dei sunt quaedam res nimis altae et sublimes, quae aliquando reputantur inter homines pro vilibus et abiectis; [3]et aliae sunt carae et spectabiles inter homines, quae coram Deo tenentur pro vilissimis et abiectis. [4]Rogo vos coram Domino Deo nostro, quantum possum, quod litteras illas, quae tractant de sanctissimo corpore et sanguine Domini nostri, detis episcopis et aliis clericis; [5]et memoria retineatis, quae super his vobis

commendavimus. [6]Aliarum litterarum, quas vobis mitto, ut eas detis potestatibus, consulibus et rectoribus, et in quibus continetur, ut publicentur per populos et plateas Dei laudes, facite statim multa exemplaria, [7]et cum magna diligentia eas porrigite illis, quibus debeant dari.

---

## **EPISTOLA AD FIDELES I** [EpFid1]

(Recensio prior)

(Exhortatio ad fratres et sorores de poenitentia)

In nomine Domini!

[Cap. I] De illis qui faciunt poenitentiam.

[1]Omnes qui Dominum diligunt *ex toto corde, ex tota anima et mente, ex tota virtute* (cfr. Mc 12,30) et diligunt proximos suos sicut se ipsos (cfr. Mt 22,39), [2]et odio habent corpora eorum cum vitiis et peccatis, [3]et recipiunt corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, [4]et faciunt fructus dignos poenitentiae: [5]O quam beati et benedicti sunt illi et illae, dum talia faciunt et in talibus perseverant, [6]quia *requiescet super eos spiritus Domini* (cfr. Is 11,2) et faciet *apud* eos habitaculum *et mansionem* (cfr. Joa 14,23), [7]et sunt filii patris caelestis (cfr. Mt 5,45), cuius opera faciunt et sunt sponsi, fratres et matres Domini nostri Jesu Christi (cfr. Mt 12,50). [8]Sponsi sumus, quando Spiritu Sancto coniungitur fidelis anima Domino nostro Jesu Christo. [9]Fratres ei sumus, quando facimus *voluntatem patris qui in caelis est* (Mt 12,50); [10]matres, quando portamus eum in corde et corpore nostro (cfr. 1 Cor 6,20) per divinum amorem et puram et sinceram conscientiam; parturimus eum per sanctam operationem, quae lucere debet aliis in exemplum (cfr. Mt 5,16). [11]O quam gloriosum est, sanctum et magnum in caelis habere patrem! [12]O quam sanctum, paraclitum, pulchrum et admirabilem talem habere sponsum! [13]O quam sanctum et quam dilectum, beneplacitum, humilem, pacificum, dulcem, amabilem et super omnia desiderabilem habere talem fratrem et talem filium: Dominum nostrum Jesum Christum, qui posuit animam pro ovibus suis (cfr. Joa 10,15) et oravit patri dicens: [14]*Pater sancte, serva eos in nomine tuo* (Joa 17,11), *quos dedisti mihi* in *mundo; tui erant et mihi dedisti eos* (Joa 17,6). [15]Et *verba, quae mihi dedisti, dedi eis, et ipsi acceperunt et* crediderunt *vere, quia a te exivi et* cognoverunt, *quia tu me misisti* (Joa 17,8). [16]Rogo pro eis et *non pro mundo* (cfr. Joa 17,9). [17]Benedic et *sanctifica* (Joa 17,17) *et pro eis sanctifico me ipsum* (Joa 17,19). [18]*Non pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum* illorum *in me* (Joa 17,20), *ut sint* sanctificati *in unum* (cfr. Joa 17,23) *sicut et nos* (Joa 17,11). [19]Et volo, pater, *ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam* (Joa 17,24) *in regno tuo* (Mt 20,21). Amen.

[Cap. II] De illis qui non agunt poenitentiam.

[1]Omnes autem illi et illae, qui non sunt in poenitentia, [2]et non recipiumt corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, [3]et operantur vitia et peccata et qui ambulant post malam concupiscentiam et mala desideria, carnis suae, [4]et non observant, quae promiserunt Domino, [5]et serviunt corporaliter mundo carnalibus desideriis et sollicitudinibus saeculi et curis huius vitae: [6]Detenti a diabolo, cuius sunt filii et eius opera faciunt (cfr. Joa 8,41), [7]caeci sunt, quia verum lumen non vident Dominum nostrum Jesum Christum. [8]Sapientiam non habent spiritualem, quia non habent Filium Dei, qui est vera sapientia Patris, [9]de quibus dicitur: *Sapientia eorum deglutita est* (Ps 106,27) et: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis* (Ps 118,21). [10]Vident et agnoscunt, sciunt et faciunt mala et ipsi scienter perdunt animas. [11]Videte, caeci, decepti ab inimicis vestris: a carne, mundo et diabolo; quia corpori dulce est facere peccatum et amarum est facere servire

Deo; [12]quia omnia vitia et peccata *de corde hominum* exeunt et *procedunt,* sicut dicit Dominus in Evangelio (cfr. Mc 7,21). [13]Et nihil habetis in hoc saeculo neque in futuro. [14]Et putatis diu possidere vanitates huius saeculi, sed decepti estis, quia veniet dies et hora, de quibus non cogitatis, nescitis et ignoratis; infirmatur corpus, mors appropinquat et sic moritur amara morte. [15]Et ubicumque, quandocumque, qualitercumque moritur homo in criminali peccato sine poenitentia et satisfactione, si potest satisfacere et non satisfacit, diabolus rapit animam suam de corpore eius cum tanta angustia et tribulatione, quod nemo potest scire, nisi qui recipit. [16]Et omnia talenta et potestatem et *scientiam et sapientiam* (2 Par 1,12), quae putabant habere, auferretur [!] ab eis (cfr. Lc 8,18; Mc 4,25). [17]Et propinquis et amicis relinquunt et ipsi tulerunt et diviserunt substantiam eius et dixerunt postea: Maledicta sit anima sua, quia potuit plus dare nobis et acquirere quam non acquisivit. [18]Corpus comedunt vermes, et ita perdiderunt corpus et animam in isto brevi saeculo et ibunt in inferno, ubi cruciabuntur sine fine.

[19]Omnes illos quibus litterae istae pervenerint, rogamus in caritate quae Deus est (cfr. 1 Joa 4,16), ut ista supradicta odorifera verba Domini nostri Jesu Christi cum divino amore benigne recipiant. [20]Et qui nesciunt legere, saepe legere faciant; [21]et apud se retineant cum sancta operatione usque in finem, quia *spiritus et vita sunt* (Joa 6,64). [22]Et qui hoc non fecerint, tenebuntur reddere *rationem in die iudicii* (cfr. Mt 12,36) *ante tribunal* Domini nostri Jesu *Christi* (cfr. Rom 14,10).

---

## **EPISTOLA AD FIDELES II** [EpFid2]
(Recensio posterior)

In nomine Domini Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

[1]Universis christianis religiosis, clericis et laicis, masculis et feminis, omnibus qui habitant in universo mundo, frater Franciscus, eorum servus et subditus, obsequium cum reverentia, pacem veram de caelo et sinceram in Domino caritatem.

[2]Cum sim servus omnium, omnibus servire teneor et administrare odorifera verba Domini mei. [3]Unde in mente considerans, quod, cum personaliter propter infirmitatem et debilitatem mei corporis non possim singulos visitare, proposui litteris praesentibus et nuntiis verba Domini nostri Jesu Christi, qui est Verbum Patris, vobis referre et verba Spiritus Sancti, quae *spiritus et vita sunt* (Joa 6,64).

[4]Istud Verbum Patris tam dignum, tam sanctum et gloriosum nuntiavit altissimus Pater de caelo per sanctum Gabrielem angelum suum in uterum sanctae et gloriosae virginis Mariae, ex cuius utero veram recepit carnem humanitatis et fragilitatis nostrae. [5]Qui, *cum dives esset* (2 Cor 8,9) super omnia, voluit ipse in mundo cum beatissima Virgine, matre sua, eligere paupertatem. [6]Et prope passionem celebravit pascha cum discipulis suis et accipiens panem gratias egit et benedixit et fregit dicens: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum* (Mt 26,26). [7]*Et accipiens calicem* dixit: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui* pro vobis et *pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (Mt 26,27). [8]Deinde oravit Patrem dicens: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (Mt 26,39). [9]*Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* (Lc 22,44). [10]Posuit tamen voluntatem suam in voluntate Patris dicens: *Pater, fiat voluntas tua* (Mt 26,42); *non sicut ego volo, sed sicut tu* (Mt 26,39). [11]Cuius Patris talis fuit voluntas, ut filius eius benedictus et gloriosus, quem dedit nobis et natus fuit pro nobis, se ipsum per proprium sanguinem suum sacrificium et hostiam in ara crucis offerret; [12]non propter se, per

quem facta sunt omnia (cfr. Joa 1,3), sed pro peccatis nostris, [13]relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius (cfr. 1 Petr 2,21). [14]Et vult ut omnes salvemur per eum et recipiamus ipsum puro corde et casto corpore nostro. [15]Sed pauci sunt, qui velint eum recipere et salvi esse per eum, licet eius *iugum suave* sit *et onus* ipsius *leve* (cfr. Mt 11,30).

[16]Qui nolunt gustare, quam *suavis* sit *Dominus* (cfr. Ps 33,9) et diligunt *tenebras magis quam lucem* (Joa 3,19) nolentes adimplere mandata Dei, maledicti sunt; [17]de quibus dicitur per prophetam: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis* (Ps 118,21). [18]Sed, o quam beati et benedicti sunt illi, qui Deum diligunt et faciunt, sicut dicit ipse Dominus in evangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* et ex *tota mente*, et *proximum tuum sicut te ipsum* (Mt 22,37.39).

[19]Diligamus igitur Deum et adoremus eum puro corde et pura mente, quia ipse super omnia quaerens dixit: *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate* (Joa 4,23). [20]Omnes enim, *qui adorant eum, in spiritu* veritatis *oportet* eum *adorare* (cfr. Joa 4,24). [21]Et dicamus ei laudes et orationes *die ac nocte* (Ps 31,4) dicendo: *Pater noster, qui es in caelis* (Mt 6,9), quia *oportet* nos *semper orare et non deficere* (Lc 18,1).

[22]Debemus siquidem confiteri sacerdoti omnia peccata nostra; et recipiamus corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi ab eo. [23]Qui non manducat carnem suam et non bibit sanguinem suum (cfr. Joa 6,55.57), *non potest introire in regnum Dei* (Joa 3,5). [24]Digne tamen manducet et bibat, quia qui *indigne* recipit, *iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini* (1 Cor 11,29), id est non discernit. [25]Faciamus insuper *fructus dignos poenitentiae* (Lc 3,8). [26]Et diligamus proximos sicut nos ipsos (cfr. Mt 22,39). [27]Et si quis non vult eos amare sicut se ipsum, saltim non inferat eis mala, sed faciat bona.

[28]Qui autem potestatem iudicandi alios receperunt, iudicium cum misericordia exerceant, sicut ipsi volunt a Domino misericordiam obtinere. [29]*Iudicium enim sine misericordia* erit illis *qui non* fecerint *misericordiam* (Jac 2,13). [30]Habeamus itaque caritatem et humilitatem; et faciamus eleemosynas, quia ipsa lavat animas a sordibus peccatorum (cfr. Tob 4,11; 12,9). [31]Homines enim omnia perdunt, quae in hoc saeculo relinquunt; secum tamen portant caritatis mercedem et eleemosynas, quas fecerunt, de quibus habebunt a Domino praemium et dignam remunerationem.

[32]Debemus etiam ieiunare et abstinere a vitiis et peccatis (cfr. Sir 3,32) et a superfluitate ciborum et potus et esse catholici. [33]Debemus etiam ecclesias visitare frequenter et venerari clericos et revereri, non tantum propter eos, si sint peccatores, sed propter officium et administrationem sanctissimi corporis et sanguinis Christi, quod sacrificant in altari et recipiunt et aliis administrant. [34]Et firmiter sciamus omnes, quia nemo salvari potest, nisi per sancta verba et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quae clerici dicunt, annuntiant et ministrant. [35]Et ipsi soli ministrare debent et non alii. [36]Specialiter autem religiosi, qui renuntiaverunt saeculo, tenentur, plura et maiora facere, sed ista non dimittere (cfr. Lc 11,42).

[37]Debemus odio habere corpora nostra cum vitiis et peccatis, quia Dominus dicit in evangelio: Omnia mala, vitia et peccata a *corde exeunt* (Mt 15,18-19; Mc 7,23). [38]Debemus diligere *inimicos* nostros et benefacere *his, qui* nos odio habent (cfr. Mt 5,44; Lc 6,27). [39]Debemus observare praecepta et consilia Domini nostri Jesu Christi. [40]Debemus etiam nosmetipsos abnegare (cfr. Mt 16,24) et ponere corpora nostra sub iugo servitutis et sanctae obedientiae, sicut unusquisque promisit Domino. [41]Et nullus homo teneatur ex obedientia obedire alicui in eo, ubi committitur delictum vel peccatum.

[42]Cui autem obedientia commissa est et *qui* habetur *maior* sit *sicut minor* (Lc 22,26) et aliorum fratrum servus. [43]Et in singulos fratres suos misericordiam faciat et habeat, quam vellet sibi fieri,

si in consimili casu esset (cfr. Mt 7,12). [44]Nec ex delicto fratris irascatur in fratrem, sed cum omni patientia et humililate ipsum benigne moneat et sustineat.

[45]Non debemus secundum carnem esse sapientes et prudentes, sed magis debemus esse simplices, humiles et puri. [46]Et habeamus corpora nostra in opprobrium et despectum, quia omnes per culpam nostram sumus miseri et putridi, foetidi et vermes, sicut dicit Dominus per prophetam: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis* (Ps 21,7). [47]Numquam debemus desiderare esse super alios, sed magis debemus esse servi et subditi *omni humanae creaturae propter Deum* (1 Petr 2,13). [48]Et omnes illi et illae, dum talia fecerint et perseveraverint usque in finem, *requiescet super* eos *spiritus Domini* (Is 11,2) et faciet in eis habitaculum *et mansionem* (cfr. Joa 14,23). [49]Et erunt filii Patris caelestis (cfr. Mt 5,45), cuius opera faciunt. [50]Et sunt sponsi, fratres et matres Domini nostri Jesu Christi (cfr. Mt 12,50). [51]Sponsi sumus, quando Spiritu Sancto coniungitur fidelis anima Jesu Christo. [52]Fratres enim sumus, quando facimus *voluntatem Patris* eius, *qui* est in caelo (cfr. Mt 12,50); [53]matres, quando portamus eum in corde et corpore nostro (cfr. 1 Cor 6,20) per amorem et puram et sinceram conscientiam; parturimus eum per sanctam operationem, quae lucere debet aliis in exemplum (cfr. Mt 5,16).

[54]O quam gloriosum et sanctum et magnum habere in caelis Patrem! [55]O quam sanctum, paraclitum, pulchrum et admirabilem habere sponsum! [56]O quam sanctum et quam dilectum, beneplacitum, humilem, pacificum, dulcem et amabilem et super omnia desiderabilem habere talem fratrem et filium, qui posuit animam suam pro ovibus suis (cfr. Joa 10,15) et oravit Patrem pro nobis dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi* (Joa 17,11). [57]Pater, omnes, *quos dedisti mihi* in *mundo, tui erant et mihi eos dedisti* (Joa 17,6). [58]Et *verba, quae dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti* (Joa 17,8); rogo pro eis et *non pro mundo* (cfr. Joa 17,9); benedic et *sanctifica eos* (Joa 17,17). [59]*Et pro eis sanctifico me ipsum, ut sint sanctificati in* (Joa 17,19) *unum sicut et nos* (Joa 17,11) sumus. [60]Et volo, Pater, *ut ubi* ego sum *et illi sint mecum, ut videant claritatem meam* (Joa 17,24) *in regno tuo* (Mt 20,21).

[61]Ei autem qui tanta sustinuit pro nobis, tot bona contulit et conferet in futurum, omnis creatura, quae est in caelis, in terra, in mari et in abyssis reddat laudem Deo, gloriam, honorem, et benedictionem (cfr. Apoc 5,13), [62]quia ipse est virtus et fortitudo nostra, qui est solus bonus, solus altissimus, solus omnipotens, admirabilis, gloriosus et solus sanctus, laudabilis et benedictus per infinita saecula saeculorum. Amen.

[63]Omnes autem illi, qui non sunt in poenitentia et non recipiunt corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, [64]et operantur vitia et peccata, et qui ambulant post malam concupiscentiam et mala desideria, et non observant, quae promiserunt, [65]et serviunt corporaliter mundo carnalibus desideriis, curis et sollicitudinibus huius saeculi et curis huius vitae, [66]decepti a diabolo, cuius filii sunt et eius opera faciunt (cfr. Joa 8,41), caeci sunt, quia verum lumen non vident Dominum nostrum Jesum Christum. [67]Sapientiam non habent spiritualem, quia non habent Filium Dei in se, qui est vera sapientia Patris; de quibus dicitur: *Sapientia eorum devorata est* (Ps 106,27). [68]Vident, agnoscunt, sciunt et faciunt mala; et scienter perdunt animas. [69]Videte, caeci, decepti ab inimicis nostris, scilicet a carne, a mundo et a diabolo, quia corpori dulce est facere peccatum et amarum servire Deo, quia *omnia mala*, vitia et peccata *de corde hominum* exeunt et *procedunt* (cfr. Mc 7,21.23), sicut dicit Dominus in evangelio. [70]Et nihil habetis in hoc saeculo neque in futuro. [71]Putatis diu possidere vanitates huius saeculi, sed decepti estis, quia veniet dies et hora, de quibus non cogitatis et nescitis et ignoratis.

[72]Infirmatur corpus, mors appropinquat, veniunt propinqui et amici dicentes: Dispone tua. [73]Ecce uxor eius et filii eius et propinqui et amici fingunt flere. [74]Et respiciens videt eos flentes, movetur

malo motu; cogitando intra se dicit: Ecce animam et corpus meum et omnia mea pono in manibus vestris. [75]Vere, iste homo est maledictus, qui confidit et exponit animam suam et corpus et omnia sua in talibus manibus; [76]unde Dominus per prophetam: *Maledictus homo, qui confidit in homine* (Jer 17,5). [77]Et statim faciunt venire sacerdotem; dicit ei sacerdos: «Vis recipere poenitentiam de omnibus peccatis tuis?» [78]Respondet: «Volo». «Vis satisfacere de commissis et his quae fraudasti et decepisti homines sicut potes de tua substantia?» [79]Respondet: «Non». Et sacerdos dicit: «Quare non?» [80]«Quia omnia disposui in manibus propinquorum et amicorum». [81]Et incipit perdere loquelam et sic moritur ille miser.

[82]Sed sciant omnes, quod ubicumque et qualitercumque homo moriatur in criminali peccato sine satisfactione et potest satisfacere et non satisfecit, diabolus rapit animam eius de corpore suo cum tanta angustia et tribulatione, quantam nullus scire potest, nisi qui recipit. [83]Et omnia talenta et potestas et scientia, quam putabat habere (cfr. Lc 8,18), *auferetur ab eo* (Mc 4,25). [84]Et propinquis et amicis relinquit, et ipsi tollent et divident substantiam eius et dicent postea: «Maledicta sit anima eius, quia potuit plus dare nobis et acquirere quam non acquisivit». [85]Corpus comedunt vermes; et ita perdit corpus et animam in isto brevi saeculo et ibit in inferno, ubi cruciabitur sine fine.

[86]In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. [87]Ego frater Franciscus, minor servus vester, rogo et obsecro vos in caritate, quae Deus est (cfr. 1 Joa 4,16), et cum voluntate osculandi vestros pedes, quod haec verba et alia Domini nostri Jesu Christi cum humilitate et caritate debeatis recipere et operari et observare. [88]Et omnes illi et illae, qui ea benigne recipient, intelligent et mittent aliis in exemplum, et si in ea *perseveraverint usque in finem* (Mt 24,13), benedicat eis Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

---

## **EPISTOLA FRATRIBUS FRANCIAE MISSA** [EpFranc]

[1]... scripsit beatus Franciscus propria manu litteram... ministro et fratribus Franciae, [2]ut visis litteris iubilarent, laudes Deo Trinitati dicentes: [3]Benedicamus Patrem et Filium cum Spiritu Sancto.

---

## **EPISTOLA DOMINAE JACOBAE SCRIPTA** [EpJac]

(... invenitur mulier sancta portasse quidquid ad patris portandum exsequias facta prius littera continebat): Nam cinerei coloris pannum, quo recedentis corpusculum tegeretur, cereos quoque plurimos, sindonem pro facie, pulvillum pro capite et ferculum quoddam, quod sanctus appetierat detulit.

---

## **EPISTOLA AD FRATREM LEONEM** [EpLeo]

[1]Frater Leo, frater Francissco tuo salutem et pacem. [2]Ita dico tibi fili mei sicut mater, quia omnia verba quae diximus in via, breviter in hoc verba [!] dispono et consilio, et si dopo tipi [?] oportet propter consilium venire ad me, quia ita consilio tibi: [3]in quocumque modo melius videtur tibi placere Domino Deo et sequi vestigiam [!] et paupertatem suam faciatis cum beneditione [!] Domini Dei et mea obedientia. [4]Et si tibi est necesarium animam tuam propter aliam consolationem tua [!] et vis Leo venire ad me veni.

---

## **EPISTOLA AD MINISTRUM** [EpMin]

[1]Fratri N. ministro: Dominus te benedicat (cfr. Num 6,24a). [2]Dico tibi, sicut possum, de facto animae tuae, quod ea quae te impediunt amare Dominum Deum, et quicumque tibi impedimentum fecerit sive fratres sive alii, etiam si te verberarent, omnia debes habere pro gratia. [3]Et ita velis et non aliud. [4]Et hoc sit tibi per veram obedientiam Domini Dei et meam, quia firmiter scio, quod ista est vera obedientia. [5]Et dilige eos qui ista faciunt tibi. [6]Et non velis aliud de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi. [7]Et in hoc dilige eos; et non velis quod sint meliores christiani. [8]Et istud sit tibi plus quam eremitorium. [9]Et in hoc volo cognoscere, si tu diligis Dominum et me servum suum et tuum, si feceris istud, scilicet quod non sit aliquis frater in mundo, qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod, postquam viderit oculos tuos, numquam recedat sine misericordia tua, si quaerit misericordiam. [10]Et si non quaereret misericordiam, tu quaeras ab eo, si vult misericordiam. [11]Et si millies postea coram oculis tuis peccaret, dilige eum plus quam me ad hoc, ut trahas eum ad Dominum; et semper miserearis talibus. [12]Et istud denunties guardianis, quando poteris, quod per te ita firmus es facere.

[13]De omnibus autem capitulis, quae sunt in regula, quae loquuntur de mortalibus peccatis, Domino adiuvante in capitulo Pentecostes cum consilio fratrum faciemus istud tale capitulum: [14]Si quis fratrum instigante inimico mortaliter peccaverit, per obedientiam teneatur recurrere ad guardianum suum. [15]Et omnes fratres, qui scirent eum peccasse, non faciant ei verecundiam neque detractionem, sed magnam misericordiam habeant circa ipsum et teneant multum privatum peccatum fratris sui; *quia non est opus* sanis *medicus, sed male habentibus* (Mt 9,12). [16]Similiter per obedientiam teneantur eum mittere custodi suo cum socio. [17]Et ipse custos misericorditer provideat ei, sicut ipse vellet provideri sibi, si in consimili casu esset (cfr. Mt 7,12). [18]Et si in alio peccato veniali ceciderit, confiteatur fratri suo sacerdoti. [19]Et si non fuerit ibi sacerdos, confiteatur fratri suo, donec habebit sacerdotem, qui eum absolvat canonice, sicut dictum est. [20]Et isti penitus non habeant potestatem iniungendi aliam poenitentiam nisi istam: *Vade* et noli amplius *peccare* (cfr. Joa 8,11).

[21]Hoc scriptum, ut melius debeat observari, habeas tecum usque ad Pentecosten; ibi eris cum fratribus tuis. [22]Et ista et omnia alia, quae minus sunt in regula, Domino Deo adiuvante, procurabitis adimplere.

---

## **EPISTOLA TOTI ORDINI MISSA** [EpOrd]

[1]In nomine summae Trinitatis et sanctae Unitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

[2]Reverendis et multum diligendis fratribus universis, fratri A., generali ministro religionis minorum fratrum, domino suo et ceteris ministris generalibus, qui post eum erunt, et omnibus ministris et custodibus et sacerdotibus fraternitatis eiusdem in Christo humilibus et omnibus fratribus simplicibus et obedientibus, primis et novissimis, [3]frater Franciscus, homo vilis et caducus, vester parvulus servulus, salutem in eo qui redemit et *lavit nos in* pretiosissimo *sanguine suo* (cfr. Apoc 1,5), [4]cuius nomen audientibus adorate eum cum timore et reverentia *proni in terra* (cfr. Esdr 8,6), Dominus Jesus Christus, *Altissimi Filius* nomen illi (cfr. Lc 1,32), *qui est benedictus in saecula* (Rom 1,25).

[5]Audite, domini filii et fratres mei, *et auribus percipite verba mea* (Act 2,14). [6]*Inclinate aurem* (Is 55,3) cordis vestri et obedite voci Filii Dei. [7]Servate in toto corde vestro mandata eius et consilia eius perfecta mente implete. [8]*Confitemini* ei *quoniam bonus* (Ps 135,1) et *exaltate* eum *in operibus vestris* (Tob 13,6); [9]*quoniam ideo* misit *vos* (cfr. Tob 13,4) in universo mundo, ut verbo et opere detis testimonium voci eius et faciatis scire omnes, quoniam *non est omnipotens praeter eum* (Tob 13,4). [10]*In disciplina* et obedientia sancta *perseverate* (Hebr 12,7) et quae promisistis ei bono et firmo proposito adimplete. [11]*Tamquam filiis* offert *se* nobis Dominus *Deus* (Hebr 12,7).

[12]Deprecor itaque omnes vos fratres cum osculo pedum et ea caritate, qua possum, ut omnem reverentiam et omnem honorem, quantumcumque poteritis, exhibeatis sanctissimo corpori et sanguini Domini nostri Jesu Christi, [13]in quo quae in caelis et quae in terris sunt, pacificata sunt et reconciliata omnipotenti Deo (cfr. Col 1,20).

[14]Rogo etiam in Domino omnes fratres meos sacerdotes, qui sunt et erunt et esse cupiunt sacerdotes Altissimi, quod quandocumque missam celebrare voluerint, puri pure faciant cum reverentia verum sacrificium sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sancta intentione et munda non pro ulla terrena re neque timore vel amore alicuius hominis, quasi placentes hominibus (cfr. Eph 6,6; Col 3,22); [15]sed omnis voluntas, quantum adiuvat gratia, ad Deum dirigatur soli ipsi summo Domino inde placere desiderans, quia ipse ibi solus operatur sicut sibi placet; [16]quoniam sicut ipse dicit: *Hoc facite in meam commemorationem* (Lc 22,19; 1 Cor 11,24); si quis aliter fecerit, Judas traditor efficitur et *reus* fit *corporis et sanguinis Domini* (cfr. 1 Cor 11,27).

[17]Recordamini, fratres mei sacerdotes, quod scriptum est de lege Moysi, quam transgrediens etiam in corporalibus *sine ulla miseratione* per sententiam Domini moriebatur (cfr. Hebr 10,28). [18]*Quanto* maiora et *deteriora* meretur pati *supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit* (Hebr 10,29)? [19]Despicit enim homo, polluit et conculcat Agnum Dei, quando, sicut dicit apostolus, *non diiudicans* (1 Cor 11,29) et discernens sanctum panem Christi ab aliis cibariis vel operibus vel indignus manducat vel etiam, si esset dignus, vane et indigne manducat, cum Dominus per prophetam dicat: *Maledictus* homo, *qui* opus Dei facit *fraudulenter* (cfr. Jer 48,10). [20]Et sacerdotes, qui nolunt hoc ponere super cor, in veritate condemnat dicens: *Maledicam benedictionibus vestris* (Mal 2,2).

[21]Audite, fratres mei: Si beata Virgo sic honoratur, ut dignum est, quia ipsum portavit in sanctissimo utero; si Baptista beatus contremuit et non audet tangere sanctum Dei verticem; si sepulcrum, in quo per aliquod tempus iacuit, veneratur, [22]quantum debet esse sanctus, iustus et dignus, qui non iam moriturum, sed in aeternum victurum et glorificatum, in quo *desiderant angeli prospicere* (1 Petr 1,12), contractat manibus, corde et ore sumit et aliis ad sumendum praebet!

[23]*Videte* dignitatem *vestram, fratres* (cfr. 1 Cor 1,26) sacerdotes, et estote sancti, quia ipse sanctus est (cfr. Lev 19,2). [24]Et sicut super omnes propter hoc ministerium honoravit vos Dominus Deus, ita et vos super omnes ipsum diligite, reveremini et honorate. [25]Magna miseria et miseranda infirmitas, quando ipsum sic praesentem habetis et vos aliquid aliud in toto mundo curatis. [26]Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et caelum exsultet, quando super altare in manu sacerdotis est *Christus, Filius Dei vivi* (Joa 11,27)! [27]O admiranda altitudo et stupenda dignatio! O humilitas sublimis! O sublimitas humilis, quod Dominus universitatis, Deus et Dei Filius, sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! [28]Videte, fratres, humilitatem Dei et *effundite coram illo corda vestra* (Ps 61,9); *humiliamini* et vos, ut exaltemini ab eo (cfr. 1 Petr 5,6; Jac 4,10). [29]Nihil ergo de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum.

[30]Moneo propterea et exhortor in Domino, ut in locis, in quibus fratres morantur, una tantum missa celebretur in die secundum formam sanctae ecclesiae. [31]Si vero plures in loco fuerint sacerdotes, sit per amorem caritatis alter contentus auditu celebrationis alterius sacerdotis; [32]quia praesentes et absentes replet, qui eo digni sunt, Dominus Jesus Christus. [33]Qui, licet in pluribus locis esse videatur, tamen indivisibilis manet et aliqua *detrimenta non novit*, sed unus ubique, sicut ei placet, operatur cum Domino Deo Patre et Spiritu Sancto Paraclito in saecula saeculorum. Amen.

[34]Et, quia qui est ex Deo verba Dei audit (cfr. Joa 8,47), debemus proinde nos, qui specialius divinis sumus officiis deputati, non solum audire et facere quae dicit Deus, verum etiam ad insinuandam in nobis altitudinem Creatoris nostri et in ipso subiectionem nostram vasa et officialia cetera custodire, quae continent verba sua sancta. [35]Propterea moneo fratres meos omnes et in Christo conforto, quatinus, ubicumque invenerint divina verba scripta, sicut possunt, venerentur; [36]et, quantum ad eos spectat, si non sunt reposita bene vel inhoneste iacent in loco aliquo dispersa, recolligant et reponant honorantes in sermonibus Dominum, *quos locutus est* (3 Reg 2,4). [37]Multa enim sanctificantur per verba Dei (cfr. 1 Tim 4,5), et in virtute verborum Christi altaris conficitur sacramentum.

[38]Confiteor praeterea Domino Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto, beatae Mariae perpetuae Virgini et omnibus sanctis in caelo et in terra, fratri H. ministro religionis nostrae sicut venerabili domino meo et sacerdotibus ordinis nostri et omnibus aliis fratribus meis benedictis omnia peccata mea. [39]In multis offendi mea gravi culpa, specialiter quod regulam, quam Domino, promisi, non servavi, nec officium, sicut regula praecipit, dixi sive negligentia sive infirmitatis meae occasione sive quia ignorans sum et idiota. [40]Ideoque per omnia oro, sicut possum, fratrem H. generalem dominum meum ministrum, ut faciat regulam ab omnibus inviolabiliter observari; [41]et quod clerici dicant officium cum devotione coram Deo non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis, ut vox concordet menti, mens vero concordet cum Deo, [42]ut possint per puritatem cordis placare Deum et non cum lascivitate vocis aures populi demulcere. [43]Ego enim promitto haec firmiter custodire, sicut dederit mihi gratiam Deus; et haec fratribus, qui mecum sunt, observanda tradam in officio et ceteris regularibus constitutis.

[44]Quicumque autem fratrum haec observare noluerint, non teneo eos catholicos nec fratres meos; nolo etiam ipsos videre nec loqui, donec poenitentiam egerint. [45]Hoc etiam dico de omnibus aliis, qui vagando vadunt, postposita regulae disciplina; [46]quoniam Dominus noster Jesus Christus dedit vitam suam, ne perderet sanctissimi Patris obedientiam (cfr. Phil 2,8).

[47]Ego frater Franciscus, homo inutilis et indigna creatura Domini Dei, dico per Dominum Jesum Christum fratri H. ministro totius religionis nostrae et omnibus generalibus ministris, qui post eum erunt, et ceteris custodibus et guardianis fratrum, qui sunt et erunt, ut hoc scriptum apud se habeant, operentur et studiose reponant. [48]Et exoro ipsos, ut, quae scripta sunt in eo, sollicite

custodire ac facere diligentius observari secundum beneplacitum omnipotentis Dei, nunc et semper, donec fuerit mundus iste.

[49]*Benedicti vos a Domino* (Ps 113,23), qui feceritis ista et in aeternum Dominus sit vobiscum. Amen.

[Oratio]

[50]Omnipotens, aeterne, iuste et misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere, quod scimus te velle, et semper velle, quod tibi placet, [51]ut interius mundati, interius illuminati et igne sancti Spiritus accensi sequi possimus vestigia (cfr. 1 Petr 2,21) dilecti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, [52]et ad te, Altissime, sola tua gratia pervenire, qui in Trinitate perfecta et Unitate simplici vivis et regnas et gloriaris Deus omnipotens per omnia saecula saeculorum. Amen.

---

## **EPISTOLA AD POPULORUM RECTORES** [EpRect]

[1]Universis potestatibus et consulibus, iudicibus atque rectoribus ubique terrarum et omnibus aliis, ad quos litterae istae pervenerint, frater Franciscus, vester in Domino Deo servus parvulus ac despectus, salutem et pacem omnibus vobis optans.

[2]Considerate et videte, quoniam dies mortis appropinquat (cfr. Gen 47,29). [3]Rogo ergo vos cum reverentia, sicut possum, ne propter curas et sollicitudines huius saeculi, quas habetis, Dominum oblivioni tradatis et a mandatis eius declinetis, quia omnes illi, *qui* eum oblivioni tradunt et *a mandatis* eius *declinant, maledicti* sunt (cfr. Ps 118,21) et ab eo *oblivioni tradentur* (Ezech 33,13). [4]Et, cum venerit dies mortis, omnia, quae putabant habere, auferentur ab eis (cfr. Lc 8,18). [5]Et, quanto sapientiores et potentiores fuerint in hoc saeculo, tanto maiora tormenta sustinebumt in inferno (cfr. Sap 6,7). [6]Unde firmiter consulo vobis, dominis meis, ut omni cura et sollicitudine posthabitis et sanctissimum corpus et sanctissimum sanguinem Domini nostri Jesu Christi in eius sancta commemoratione benigne recipiatis. [7]Et tantum honorem in populo vobis commisso Domino conferatis, ut quolibet sero annuntietur per nuntium vel per aliud signum, quo omnipotenti Domino Deo ab universo populo laudes et gratiae referantur. [8]Et, si hoc non feceritis, sciatis vos debere coram Domino Deo vestro Jesu Christo *in die iudicii* reddere *rationem* (cfr. Mt 12,36).

[9]Hoc scriptum qui apud se retinuerint et observaverint illud, a Domino Deo se noverint benedictos.

---

## **EXHORTATIO AD LAUDEM DEI** [ExhLD]

[1]*Timete Dominum et date illi honorem* (Apoc 14,7). [2]*Dignus* est Dominus *accipere* laudem et honorem (cfr. Apoc 4,11). [3]Omnes, *qui* timete *Dominum, laudate eum* (cfr. Ps 21,24). [4]*Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum* (Lc 1,28). [5]Laudate eum caelum et terra (cfr. Ps 68,35-R). [6]Laudate omnia flumina Dominum (cfr. Dan 3,87). [7]*Benedicite filii* Dei *Dominum* (cfr. Dan

3,82). [8]*Haec dies quam fecit Dominus, exsultemus et laetemur in ea* (Ps 177,24-R). Alleluia, Alleluia, Alleluia! *Rex Israel* (Joa 12,13)! [9]*Omnis spiritus laudet Dominum* (Ps 150,6). [10]*Laudate Dominum, quoniam bonus est* (Ps 146,1); omnes qui legitis haec, *benedicite Dominum* (Ps 102,21-R). [11]Omnes creaturae benedicite Dominum (cfr. Ps 102,22). [12]*Omnes volucres caeli* laudate Dominum (cfr. Dan 3,80; Ps 148,7-10). [13]Omnes *pueri* laudate *Dominum* (cfr. Ps 112,1). [14]*Iuvenes et virgines* laudate Dominum (cfr. Ps 148,12). [15]*Dignus est agnus, qui occisus est,* recipere laudem, gloriam et honorem (cfr. Apoc 5,12). [16]*Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa Unitas*. [17]*Sancte Michael Archangele, defende nos in proelio.*

---

## **EXPOSITIO IN PATER NOSTER** [ExpPat]

[1]O sanctissime *Pater noster*: creator, redemptor, consolator et salvator noster.

[2]*Qui es in caelis*: in angelis et in sanctis; illuminans eos ad cognitionem, quia tu, Domine, lux es; inflammans ad amorem, quia tu, Domine, amor es; inhabitans et implens eos ad beatitudinem, quia tu, Domine, summum bonum es, aeternum, a quo omne bonum, sine quo nullum bonum.

[3]*Sanctificetur nomen tuum*: clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoscamus, quae sit latitudo (cfr. Eph 3,18) beneficiorum tuorum, longitudo promissorum tuorum, sublimitas maiestatis et profundum iudiciorum.

[4]*Adveniat regnum tuum*: ut tu regnes in nobis per gratiam et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna.

[5]*Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*: ut amemus te ex toto corde (cfr. Lc 10,27) te semper cogitando, ex tota anima te semper desiderando, ex tota mente omnes intentiones nostras ad te dirigendo, honorem tuum in omnibus quaerendo et ex omnibus viribus nostris omnes vires nostras et sensus animae et corporis in obsequium tui amoris et non in alio expendendo; et proximos nostros amemus sicut et nosmetipsos omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo et in malis compatiendo et nemini ullam offensionem dando (cfr. 2 Cor 6,3).

[6]*Panem nostrum quotidianum*: dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, *da nobis hodie*: in memoriam et intelligentiam et reverentiam amoris, quem ad nos habuit, et eorum, quae pro nobis dixit, fecit et sustulit.

[7]*Et dimitte nobis debita nostra*: per tuam misericordiam ineffabilem, per passionis dilecti Filii tui virtutem et per beatissimae Virginis et omnium electorum tuorum merita et intercessionem.

[8]*Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*: et quod non plene dimittimus, tu, Domine, fac nos plene dimittere, ut inimicos propter te veraciter diligamus et pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddentes (cfr. 1 Thess 5,15) et in omnibus in te prodesse studeamus.

[9]*Et ne nos inducas in tentationem*: occultam vel manifestam, subitam vel importunam.

[10]*Sed libera nos a malo*: praeterito, praesenti et futuro. Gloria Patri etc.

## FORMA VIVENDI S. CLARAE [FormViv]

[1]Quia divina inspiratione fecistis vos filias et ancillas altissimi summi Regis Patris caelestis, et Spiritui Sancto vos desponsastis eligendo vivere secundum perfectionem sancti Evangelii, [2]volo et promitto per me et fratres meos semper habere de vobis tamquam de ipsis curam diligentem et sollicitudinem specialem.

---

## FRAGMENTA ALTERIUS REGULAE NON BULLATAE [Fragm]

### I. Fragmenta codicis Wigorniensis (cod Wo)

[1][Attendamus, omnes fratres, quod dicit Dominus: Diligite inimicos vestros et benefacite his qui oderunt vos (cfr. Mt 5,44 par.), quia Dominus noster Jesus Christus, cuius sequi vestigia debemus (cfr. 1 Petr 2,21), traditorem suum vocavit amicum et crucifixoribus suis sponte se obtulit. [2]Amici igitur nostri sunt omnes illi qui iniuste nobis inferunt tribulationes, angustias,] verecundias, iniurias et dolores et tormenta, martyrium et mortem; quos multum diligere debemus, quia ex hoc, quod nobis inferunt, habemus vitam aeternam. [3]Et castigemus corpus nostrum crucifigentes illud cum vitiis et concupiscentiis et peccatis, quia carnaliter vivendo vult nobis auferre amorem Jesu Christi et vitam aeternam et mittere se ipsum cum anima in infernum; [4]quia nos per culpam nostram fuimus foetidi, bono contrarii, ad malum prompti et voluntarii; [5]quia sicut dicit Dominus: «De corde procedunt et exeunt cogitationes malae» (Mc 7,21) et cetera...

[6]sed autem, postquam dimisimus mundum, nihil aliud habere[!] facere, nisi ut solliciti simus sequi voluntatem et placere ipsi; [7]multum caveamus, ne simus terra secus viam posita petrosa vel spinosa, secundum quod dicit Dominus in evangelio: «Semen est verbum Dei (Lc 8,11); [8]quod autem secus viam cecidit, conculcatum est» (Lc 8,5) et cetera usque ibi: «fructum afferunt in patientia» (Lc 8,15).

[9]Et propterea omnes fratres, sicut dicit Dominus: «Dimittamus mortuos... suos» (cfr. Mt 8,22); [10]et multum caveamus a malitia et subtilitate satanae, qui vult, ne homo virtutem suam et cor suum habeat ad Dominum Deum; [11]et circuiens desideret cor hominis sub specie alicuius mercedis vel adiutorii tollere et suffocare verbum et praecepta Domini a memoria et volens cor hominis per saecularia negotia et curas inhabitare et excaecare, sicut dicit Dominus: [12]«Cum immundus spiritus» (Mt 12,43) et cetera usque ibi: [13]«Fiunt novissima illius hominis peiora prioribus» (Mt 12,45).

[14]Unde, omnes fratres, custodiamus nos multum, ne sub specie alicuius operis vel mercedis vel adiutorii perdamus aut tollamus mentem nostram et cor a Domino. [15]Sed in caritate, quae Deus est (cfr. 1 Joa 4,16), rogo omnes fratres tam ministros quam alios, ut omni impedimento remoto, omni cura et sollicitudine postposita, quocumque possunt, amare, servire et adorare Dominum Deum mundo corde et pura mente faciant, quod ipse super omnia quaerit. [16]Et semper faciamus habitaculum et mansionem (cfr. Joa 14,23) ipsi, qui est Dominus Deus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui dixit: «Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia mala, quae ventura sunt et stare ante Filium hominis» (Lc 21,36); «et cum stabitis ad orandum (Mc 11,25), dicite (Lc 11,2): Pater noster» (Mt 6,9). [17]Et adoremus eum puro corde,

«quoniam oportet semper orare et non deficere» (Lc 18,1); [18]«nam et Pater tales quaerit» adoratores (cfr. Joa 4,23). [19]«Spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare» (Joa 4,24). Et ad eum recurramus tamquam «ad pastorem et episcopum animarum» (1 Petr 2,25) nostrarum, qui dicit: «Ego sum pastor bonus» (Joa 10,11) et cetera usque ibi: «animam meam pono pro ovibus meis» (Joa 10,15). [20]«Omnes vos fratres estis et patrem nolite vocare vobis super terram» (Mt 23,8-9) et cetera. [21]Ne[!] «vocemini magistri» (Mt 23,10) et cetera. [22]«Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis» (Joa 15,7). [23]«Ubicumque sunt duo vel tres congregati in nomine meo» (Mt 18,20) et cetera. [24]«Ecce ego vobiscum sum in omnibus diebus» (Mt 28,20) et cetera. [25]«Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt» (Joa 6,64). [26]«Ego sum via, veritas et vita» (Joa 14,6).

[27]Teneamus ergo verba, doctrinam, vitam et sanctum evangelium Domini nostri Jesu Christi, qui dignatus est pro nobis rogare Patrem et nobis suum nomen manifestare dicens: Pater, «manifestavi nomen tuum hominibus» (Joa 17,6) et cetera usque ibi: [28]«Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam» (cfr. Joa 17,24) «in regno tuo» (Mt 20,21). [29]Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

[30]Et ostendant fratres pauperibus delectationem quam habent invicem, sicut dicit apostolus: «Non diligamus verbo neque lingua» (1 Joa 3,18) et cetera.

[31]Omnes fratres, ubicumque sunt, caveant sibi a malo visu et frequentia mulierum et nullus cum eis consilietur solus. Infra: [32]Et multum nos et omnia membra nostra munda teneamus, quia dicit Dominus: «Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum» (Mt 5,28) et cetera. Infra:

[33]Quando fratres vadunt per mundum nihil portent per viam neque sacculum (cfr. Lc 10,4) «neque peram neque panem neque pecuniam (cfr. Lc 9,3) neque virgam neque calceamenta» (cfr. Mt 10,10). Infra:

[34][Non resistant malo, sed qui eos percusserit in una maxilla, praebeant ei et alteram (cfr. Mt 5,39). [35]Et qui aufert eis vestimentum, et tunicam non prohibeant (cfr. Lc 6,29), et qui aufert ab eis quae sua sunt, non repetant (cfr. Lc 6,30).

[36]Fratres qui de] licentia sui ministri vadunt inter infideles duobus modis p[ossunt] conversari spiritualiter. [37]Unus modus est, quod non faciant lites neque contentiones, sed sint subditi «omni humanae creaturae propter Deum» (1 Petr 2,13) et confiteantur se esse christianos. [38]Alius modus est, quod, cum viderint Deo placere, annuntient verbum Dei, ut credant in Deum Patrem omnipotentem et Filium et Spiritum Sanctum. Infra:

[39]Et omnes fratres, ubicumque sint, recordentur, quod dederunt se et reliquerunt se et corpora sua Domino Jesu Christo. [40]Et pro eius amore debent sustinere persecutionem et mortem tam ab inimicis visibilibus et invisibilibus; et cetera. Infra:

[41]Omnes fratres moribus praedicent. [42]Nullus minister vel praedicator appropriet sibi ministerium vel officium praedicationis, sed quacumque[!] ei iniunctum fuerit, dimittat officium suum. [43]Unde deprecor in caritate, quae est Deus (cfr. 1 Joa 4,16), omnes fratres meos praedicatores, oratores, laboratores, tam clericos quam laicos, ut studeant se humiliare in omnibus, [44]non gloriari, in se gaudere neque interius se exaltare de bonis verbis et operibus, immo de nullo bono, quod Deus facit vel dicit vel operatur in eis quandoque et per ipsos, secundum quod dicit Dominus: «Verumtamen in hoc nolite gaudere, quod vobis spiritus subiciuntur» (Lc 10,20), et cetera.

[45]Et firmiter sciamus, quod non pertinet ad nos nisi vitia et peccata; [46]sed magis debemus gaudere, «cum in tentationes varias» inciderimus (cfr. Jac 1,2) et cum sustinuerimus quascumque animae et corporis angustias et tribulationes in hoc mundo propter vitam aeternam.

[47]Omnes ergo fratres caveamus a superbia et vana gloria; custodiamus nos multum a sapientia huius mundi et prudentia carnis. [48]Spiritus enim carnis vult et studet multum ad verba habenda, sed parum ad operationem; [49]et quaerit non religionem et sanctitatem spiritus, sed vult et desiderat religionem et sanctitatem foris apparentem hominibus. [50]Et isti sunt, de quibus dicit Dominus: «Amen dico vobis, receperunt mercedem suam» (Mt 6,2). [51]Spiritus autem Domini vult mortificationem et despectam, vilem et abiectam et opprobriosam esse carnem. [52]Et studet ad humilitatem et patientiam, puram simplicitatem et veram pacem spiritus. [53]Et super omnia desiderat divinum timorem et divinam sapientiam et divinum amorem Patris et Filii et Spiritus Sancti.

[54]Et omnia bona Domino Deo altissimo et summo reddamus et omnia bona ipsius esse recognoscamus. [55]Et ipse accipiat omnes honores et reverentias, omnes laudes et benedictiones, omnes gratias et glorias, cuius est omne bonum, qui solus est bonus (cfr. Lc 18,19).

[56]Et quando audimus homines malum dicere vel blasphemare Dominum, nos bene faciamus et benedicamus et laudemus Dominum, «qui est benedictus in saecula» (Rom 1,25).

[57]Omnes clericos et religiosos habeamus pro dominis in his quae spectant ad salutem animae, et a mea religione non deviaverint; et ordinem et administrationem eorum in Domino veneremur et officium. Infra:

[58]Hanc vel talem exhortationem vel laudem possunt omnes fratres quantumcumque inspiraverit eis Deus annuntiare inter quoscumque homines cum benedictione Dei et licentia sui ministri: [59]Timete et honorate, laudate et benedicite, gratias agite (1 Thess 5,18) et adorate Dominum Deum nostrum, omnipotentem in Trinitate et Unitate, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, creatorem omnium. [60]Agite poenitentiam (cfr. Mt 3,2) et facite dignos fructus poenitentiae (cfr. Lc 3,8), quia scitote quod cito moriemur. [61]«Date et dabitur vobis» (Lc 6,38). [62]Dimittite et dimittetur vobis (cfr. Lc 6,37). [63]Et «si non dimiseritis» (Mt 6,14), Dominus non «dimittet vobis peccata vestra» (Mc 11,25); confitemini omnia peccata vestra (cfr. Jac 5,16). [64]Beati qui moriuntur in poenitentia, quia erunt in regno caelorum. [65]Vae illis qui non moriuntur in poenitentia, quia erunt «filii diaboli», cuius opera faciunt (Joa 8,41) et ibunt in ignem aeternum. [66]Cavete et abstinete ab omni malo et perseverate usque in finem in bono.

[67]Caveant omnes fratres, ubicumque fuerint, in eremis vel aliis locis, quod nullum locum vel aliquam rem sibi approprient nec alicui defendant. [68]Et quicumque ad eos venerit amicus vel adversarius cum ipsis aliquo modo non contendant. [69]Et ubicumque sint fratres et in quocumque [loco se invenerint, spiritualiter et diligenter debeant se revidere et honorare ad «invicem sine murmuratione» (1 Petr 4,9). [70]Et caveant sibi, quod non ostendant se tristes, extrinsecus nubilosos et hypocritas; sed ostendant se «gaudentes in Domino» (cfr. Phil 4,4) et hilares et iocundos] et convenienter gratiosos.

[71]Rogo quemlibet fratrem infirmum, ut referendo de omnibus gratias Creatori qualem vult eum Deus talem se esse desideret sive sanum sive infirmum, quia omnes, quos Dominus praeordinavit «ad vitam aeternam» (cfr. Act 13,48), flagellorum atque infirmitatum stimulis atque compunctionis spiritu erudit; sicut: «Ego quos amo» (Apoc 3,19) et cetera.

[72]Unde rogo omnes fratres meos infirmos, ut in eorum infirmitatibus non irascantur nec conturbentur contra Deum aut contra fratres, nec multum sollicite medicinas neque nimis desiderent liberare carnem cito morituram, quae est animae moritura inimica.

[73]Omnes fratres studeant sequi humilitatem et paupertatem Domini nostri Jesu Christi et recordentur, qumd nihil aliud oportet nos habere de toto mundo, nisi, sicut dicit apostolus, habentes [alimenta] et vestes «quibus tegamur his contenti simus» (1 Tim 6,8). [74]Et debent gaudere, quando conversantur inter viles et despectas personas, inter pauperes et debiles et infirmos et leprosos et iuxta viam mendicantes. [75]Et cum necesse fuerit, vadant pro eleemosynis. [76]Et non verecundentur, quia Dominus noster Jesus «Christus, Filius Dei vivi» (Joa 11,27) omnipotentis, «posuit faciem suam ut petram durissimam» (Is 50,7) nec verecundatus est. [77]Et fuit pauper et hospes et vixit de eleemosynis ipse et beata Virgo, mater eius sancta Maria, et discipuli eius. [78]Et quando fecerint homines eis verecundiam et noluerint eis dare, referant inde gratias Domino, quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri Jesu Christi.

[79]Et sciant, quod verecundia non patientibus, sed inferentibus imputabitur; [80]quod eleemosyna est hereditas et iustitia, quae debetur pauperibus, quam Dominus noster Jesus Christus acquisivit. [81]Et fratres, qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt et facient lucrari et acquirere tribuentes; quia omnia, quae homines relinquunt in mundo, peribunt, sed de caritate et eleemosynis, quas fecerint, habebunt vitam aeternam.

## II. Fragmenta expositioni Regulae OFM fratris Hugonis de Dinia inserta

[1]*Unde Sanctus de huiusmodi in regula nondum bullata dicebat*: Caveant sibi fratres et ministri fratrum, quod de negotiis suis nullo modo se intromittant [cfr. RegNB II,5].

[2]*Antequam regula bullaretur Sanctus addebat*: Et licet dicantur hypocritae, non cessent bene facere [cfr. l.c. II,15].

[3]*Unde ante bullam regula sic habebat*: Aliis autem temporibus non teneantur secundum hanc vitam nisi sexta feria ieiunare [cfr. l.c. III,12].

[4]*... ut Sanctus prius in Regula dixit*: Recordentur -inquit- ministri quod commissa est eis cura animarum fratrum, de quibus, si aliquis perderetur propter eorum culpam vel malum exemplum, oportebit eis reddere rationem coram Domino Jesu Christo [cfr. l.c. IV,6].

[5]*Sic Sanctus in Regula originali dicebat*: Caveant fratres omnes tam ministri quam alii, quod propter peccatum alterius vel malum exemplum non conturbentur vel irascantur, quia diabolus propter peccatum unius multos vult corrumpere, sed spiritualiter, sicut possunt, adiuvent illum, qui peccaverit, quia non est opus sanis medicus, sed iis qui male habent (cfr. Mc 2,17 par.) [cfr. l.c. V,7-8].

[6]*... iuxta illud Domini verbum, quod et beatus Franciscus fratribus dicebat*: Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent inter eos; non sic erit inter vos (Mt 20,25-26a) [cfr. l.c. V,10].

[7]*... sic Sanctus ante bullam eos in Regula hortabatur*: Per caritatem spiritus voluntarie serviant et obediant invicem (cfr. Gal 5,l3). Haec est, ait, vera et secura obedientia Domini nostri Jesu Christi [cfr. l.c. V,14b-15].

[8]*Unde sic prius in Regula dicebatur*: Fratres, in quibuscumque locis sunt, qui non possunt spiritualiter vitam nostram observare, idipsum suo ministro significent. Minister vero taliter studeat providere, sicut ipse sibi fieri vellet [cfr. l.c. VI,1-2].

[9]*... vel secundum primam, ut dictum est, Regulam*: In quibuscumque locis sunt fratres [cfr. l.c. VI,1].

[10]*Unde Regula sic prius habebat*: Omnes fratres in quibuscumque locis apud alios exstiterint, non sint camerarii vel cancellarii nec praesint honoribus eorum quibus serviunt; nec recipiant aliquod officium, quod scandalum generet vel animae suae faciat detrimentum (cfr. Mc 8,36); sed sint minores et subditi omnibus, qui in eisdem domibus sunt [cfr. l.c. VII,1-2].

[11]*Unde prius in Regula dicebatur*: Fratres qui sciunt laborare, laborent et eam artem, quam noverunt exerceant, si non fuerit contra salutem animae [cfr. l.c. VII,3].

[12]*Et post pauca*: Unusquisque in ea arte et officio, in quo vocatus est, permaneat (cfr. 1 Cor 7,24) secundum dispositionem Ministri [cfr. l.c. VII,6].

[13]*Unde ante bullam in Regula sic ponebat*: Servi Dei semper orationi vel alicui bonae operationi insistere debent [cfr. l.c. VII,12].

[14]*Et ante bullam haec in Regula verba erant*: Caveant fratres, quod nullum locum vel aliquam rem sibi approprient nec alicui defendant [cfr. l.c. VII,13].

[15]*Sic Sanctus in Regula prius loquebatur... Et iterum*: Ubicumque sunt fratres et in quocumque loco se inveniunt, spiritualiter et diligenter debeant se videre et honorare ad invicem sine murmuratione (1 Petr 4,9). Et caveant sibi fratres, quod non ostendant se tristes extrinsecus et nubilosos hypocritas, sed ostendant se gaudentes in Domino et hilares et iucundos et convenienter gratiosos [cfr. l.c. VII,15-16].

[16]*De pecunia inventa Sanctus ita dicebat*: Si invenerimus pecuniam, non curemus tamquam de pulvere, quem pedibus calcamus [cfr. l.c. VIII,6].

[17]Sustinebat [Franciscus] quod fratres leprosis in magna necessitate eleemosynam quaererent, sic tamen ut a pecunia multum caverent. Et quamvis pia loca, in quibus fratres hospitabantur vel morabantur, diligeret, non tamen patiebatur, ut pro loco aliquo pecuniam quaererent vel quaeri facerent, vel cum quaerentibus eam irent [cfr. l.c. VIII,10-11.8].

[18]*Et primae Regulae littera sic habebat*: Cum necesse fuerit, vadant fratres pro eleemosyna [cfr. l.c. IX,3].

[19]*Hoc ipse diffusius in originali Regula sic ponebat*: Cum necesse fuerit, vadant fratres pro eleemosyna. Et non verecundentur, sed magis recordentur, quod Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi (Joa 11,27) omnipotentis, *posuit faciem* suam *ut petram durissimam* (Is 50,7) et neque verecundatus est. Et fuit pauper et hospes et vixit de eleemosynis ipse et discipuli eius. Et quando facerent eis verecundiam homines et nollent eis dare, inde gratias Deo agant, quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri Jesu Christi. Et sciant, quod verecundia non patientibus, sed inferentibus imputatur; et quod eleemosyna est hereditas et iustitia, quae debetur pauperibus, quam acquisivit Dominus noster Jesus Christus. Et fratres, qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt et faciunt lucrari et acquirere tribuentes, quia omnia, quae homines relinquunt in mundo, peribunt, sed de caritate et eleemosynis, quas fecerunt, habebunt praemium a Domino [cfr. l.c. IX,3-9].

[20]*Sic Sanctus in Regula prius loquebatur*: Secure manifestet unus alteri necessitatem suam, ut sibi necessaria inveniat et ministret [cfr. l.c. IX,10].

[21]*...ante bullam Sanctus in Regula sic monebat*: Rogo fratrem infirmum, ut referendo de omnibus gratias Creatori, qualem vult eum Dominus, talem se esse desideret, sanum sive infirmum [cfr. l.c. X,3].

[22]*Et post pauca*: Rogo omnes fratres meos, ut in infirmitatibus non irascantur vel conturbentur contra Deum vel contra fratres, nec multum sollicite postulent medicinam, nec nimis desiderent liberare carnem cito morituram, quae est animae inimica [cfr. l.c. X,4].

[23]Raca vel fatue fratri typo contumeliae dicere nefas ducebant, cum et regula prius et verba haec evangelii exprimeret (cfr. Mt 5,22) [cfr. l.c. XI,4].

[24]Porro evangelium non contendere, non repetere, non resistere malo docet quae omnia ante bullam Regula specialiter exprimebat; sed nunc concisis ac generalibus verbis omnia comprehendit [cfr. l.c. XI,1; XIV,4-7].

[25]*Duplicem autem modum conversandi inter incredulos Sanctus in Regula prima ponens dicebat*: Fratres duobus modis inter eos possunt spiritualiter conversari. Unus modus est, ut non faciant lites nec contentiones, sed subditi sint omni creaturae propter Deum (1 Petr 2,13) et confiteantur esse se christianos. Alius modus est, quod cum viderint placere Deo annuntient verbum Dei, ut credant in Deum Patrem omnipotentem et Filium eius et Spiritum Sanctum, creatorem omnium, redemptorem et salvatorem omnium fidelium, et ut baptizentur et efficiantur christiani, quia salvari non possunt, nisi qui baptizarentur et sint veri et spirituales christiani, quia «nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Dei» (cfr. Joa 3,5) [cfr. l.c. XVI,5-7].

[26]*Et quibusdam interpositis addebat*: Et recordentur fratres, quod dederunt se et reliquerunt corpora sua propter Deum Domino Jesu Christo. Et pro eius amore debent sustinere tribulationem, persecutionem et mortem, quia dicit Dominus: «Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam» (cfr. Lc 9,24). «Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus» (Lc 12,4). «Si vos persequuntur in una civitate, fugite in aliam» (cfr. Mt 10,23) [cfr. l.c. XVI,10-11.17.14].

[27]*... prout Sanctus in Regula prius hortabatur dicens*: Omnes fratres operibus praedicent [cfr. l.c. XVII,3].

[28]*Miro Sanctus modo personis ecclesiasticis deferri volebat*: Omnes clericos et omnes religiosos habeamus pro dominis in iis, qui a nostra religione non deviant, et ordinem et administrationem eorum in Domino veneremur [cfr. l.c. XIX,3].

[29]... cuius interdum pro aedificatione ac maioris contextus per originem elucidatione recordor omnes fratres tenorem et spiritum eorum quae in ipsa regula scripta erant, docentes, discentes, inspicientes orabat a Domino benedici [cfr. l.c. XXIV,1-3].

## III. Fragmenta in secunda Vita S. Francisci fratris Thomae Celanensis conservata

[1][Ministri] teneantur in die iudicii coram te, Domine, reddere rationem, si aliquis frater eorum vel negligentia vel exemplo seu etiam aspera correctione perierit [2 Cel 143] [cfr. RegNB IV,6].

[2]... *pro generali commonitione in quodam capitulo scribi fecit haec verba*: Caveant fratres, ne se ostendant extrinsecus nubilosos et hypocritas tristes, sed ostendant se gaudentes in Domino, hilares et iucundos et convenienter gratiosos [2 Cel 128] [cfr. l.c. VII,16].

[3]... inculcans temerario *verbum regulae*, quo satis elucet velut pulverem inventum denarium conculcari debere [2 Cel 66] [cfr. l.c. VIII,6].

[4]*Unde in quadam regula scribi fecit haec verba*: Rogo omnes fratres meos infirmos, ut in suis infirmitatibus non irascantur vel conturbentur contra Deum vel contra fratres. Non multum sollicite postulent medicinas, nec nimis desiderent liberare carnem cito morituram, quae est animae inimica. De omnibus gratias agant, ut quales vult eos esse Deus, tales se fore desiderent. Quos enim Deus ad vitam praeordinavit aeternam (cfr. Act 13,48), flagellorum atque infirmitatum stimulis erudit, sicut ipse dixit: Ego quos amo, corrigo et castigo (Apoc 3,19) [2 Cel 175] [cfr. l.c. X,3-4].

---

## **LAUDES DEI ALTISSIMI** [LaudDei]

[1]*Tu es* sanctus Dominus *Deus* solus, *qui facis mirabilia* (Ps 76,15). [2]Tu es fortis, tu es magnus (cfr. Ps 85,10), tu es altissimus, tu es rex omnipotens, tu *pater sancte* (Joa 17,11), rex *caeli et terrae* (cfr. Mt 11,25). [3]Tu es trinus et unus Dominus Deus deorum (cfr. Ps 135,2); tu es bonum, omne bonum, summum bonum, Dominus Deus vivus et verus (cfr. 1 Thess 1,9). [4]Tu es amor, caritas; tu es sapientia, tu es humilitas, *tu es patientia* (Ps 70,5), tu es pulchritudo, tu es mansuetudo, tu es securitas, tu es quietas, tu es gaudium, tu es spes nostra et laetitia, tu es iustitia, tu es temperantia, tu es omnia divitia nostra ad sufficientiam. [5]Tu es pulchritudo, tu es mansuetudo; *tu es protector* (Ps 30,5), tu es custos et defensor noster; tu es fortitudo (cfr. Ps 42,2), tu es refrigerium. [6]Tu es spes nostra, tu es fides nostra, tu es caritas nostra, tu es tota dulcedo nostra, tu es vita aeterna nostra: Magnus et admirabilis Dominus, Deus omnipotens, misericors Salvator.

---

## **LAUDES AD OMNES HORAS DICENDAE** [LaudHor]

[1]Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est et qui erat et qui venturus est (cfr. Apoc 4,8): Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[2]Dignus es, Domine Deus noster, accipere laudem, gloriam et honorem et benedictionem (cfr. Apoc 4,11): Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[3]Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem (Apoc 5,12): Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[4]Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu: Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[5]Benedicite omnia opera Domini Domino (Dan 3,57): Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[6]Laudem dicite Deo nostro omnes servi eius et qui timetis Deum, pusilli et magni (cfr. Apoc 19,5): Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[7]Laudent eum gloriosum caeli et terra (cfr. Ps 68,35-R): Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[8]Et omnis creatura, quae in caelo est et super terram et quae subtus terram et mare et quae in eo sunt (cfr. Apoc 5,13): Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[9]Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto: Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[10]Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Et laudemus et superexaltemus eum in saecula.

[11]Oratio: Omnipotens sanctissime, altissime et summe Deus, omne bonum, summum bonum, totum bonum, qui solus es bonus (cfr. Lc 18,19), tibi reddamus omnem laudem, omnem gloriam, omnem gratiam, omnem honorem, omnem benedictionem et omnia bona. Fiat. Fiat. Amen.

---

## **OFFICIUM PASSIONIS DOMINI** [OffPass]

[Introductio]

> Incipiunt psalmi, quos ordinavit beatissimus pater noster Franciscus ad reverentiam et memoriam et laudem passionis Domini. Qui dicendi sunt per quaslibet horas diei et noctis unum. Et incipiunt a completorio feriae sextae Parasceve, eo quod in illa nocte traditus fuit et captus Dominus noster Jesus Christus. Et nota, quod sic dicebat istud officium beatus Franciscus: Primo dicebat orationem, quam nos docuit Dominus et Magister: *Sanctissime pater noster etc.* cum laudibus, scilicet: *Sanctus, sanctus, sanctus* sicut superius continetur. Finitis laudibus cum oratione incipiebat hanc antiphonam, scilicet: *Sancta Maria*. Psalmos dicebat primo de sancta Maria; postea dicebat alios psalmos quos elegerat, et in fine omnium psalmorum, quos dicebat, dicebat psalmos passionis. Finito psalmo dicebat hanc antiphonam, scilicet: *Sancta Maria virgo*. Finita antiphona expletum erat officium.

[Pars I: Pro sacro triduo hebdomadae maioris et feriis per annum]

Ad Completorium
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo
Psalmus [I]

[1]Deus vitam meam annuntiavi tibi * posuisti lacrimas meas in conspectu tuo (Ps 55,8b-9).

[2]Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi (Ps 40,8a; R) * et consilium fecerunt in unum (cfr. Ps 70,10c; G).

[3]Et posuerunt adversum me mala pro vobis * et odium pro dilectione mea (cfr. Ps 108,5).

[4]Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi * ego autem orabam (Ps 108,4).

[5]Mi pater sancte (Joa 17,11), rex caeli et terrae, ne discesseris a me * quoniam tribulatio proxima est et non est qui adiuvet (Ps 21,12; R).

[6]Convertantur (R) inimici mei retrorsum * in quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es (Ps 55,10; cfr. R).

[7]Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt * et proximi mei a longe steterunt (Ps 37,12; R).

[8]Longe fecisti notos meos a me * posuerunt me abominationem sibi, traditus sum et non egrediebar (Ps 87,9; cfr. R).

[9]Pater sancte (Joa 17,11), ne elongaveris auxilium tuum a me (Ps 21,20) * Deus meus ad auxilium meum respice (cfr. Ps 70,12).

[10]Intende in adiutorium meum * Domine Deus salutis meae (Ps 37,23).

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

*Antiphona*: [1]Sancta Maria virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, [2]filia et ancilla altissimi summi Regis Patris caelestis, mater sanctissimi Domini nostri Jesu Christi, sponsa Spiritus Sancti: [3]ora pro nobis cum S. Michaele archangelo et omnibus virtutibus caelornm et omnibus sanctis apud tuum sanctissimum dilectum Filium, Dominum et magistrum.- Gloria Patri. Sicut erat.

> Nota, quod haec antiphona supradicta dicitur ad omnes horas; et dicitur pro antiphona, capitulo, hymno, versiculo et oratione; et ad matutinum et ad omnes horas similiter. Nihil aliud in ipsis dicebat nisi hanc antiphonam cum suis psalmis. Ad absolutionem officii semper dicebat beatus Franciscus:

*Oratio*: Benedicamus Domino Deo vivo et vero: laudem, gloriam, honorem, benedictionem et omnia bona referamus ei semper. Amen. Amen. Fiat. Fiat.

Ad Matutinum

*Antiphona*: Sancta Maria Virgo

Psalmus [II]

[1]Domine Deus salutis meae * in die clamavi et nocte coram te (Ps 87,2).

[2]Intret in conspectu tuo oratio mea * inclina aurem tuam ad precem meam (Ps 87,3).

[3]Intende animae meae et libera eam * propter inimicos meos eripe me (Ps 68,19).

[4]Quoniam tu es, qui abstraxisti (R) me de ventre ' spes mea ab uberibus matris meae * in te proiectus sum ex utero (Ps 21,10).

[5]De ventre matris meae Deus meus es tu * ne discesseris a me (Ps 21,11).

[6]Tu scis improperium meum et confusionem meam * et reverentiam meam (Ps 68,20).

[7]In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me * improperium exspectavit cor meum et miseriam (Ps 68,21a-b).

[8]Et sustinui, qui simul contristaretur et non fuit * et qui consolaretur et non inveni (Ps 68,21c-d).

[9]Deus, iniqui insurrexerunt in (R) me * et synagoga potentium quaesierunt animam meam et non proposuerunt te in conspectu suo (Ps 85,14).

[10]Aestimatus sum cum descendentibus in lacum * factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber (Ps 87,5-6a).

[11]Tu es sanctissimus pater meus * Rex meus et Deus meus (cfr. Ps 43,5a).

[12]Intende in adiutorium meum * Domine Deus salutis meae (Ps 37,23).

Ad Primam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo
Psalmus [III]

[1]Miserere mei, Deus, miserere mei * quoniam in te confidit anima mea (Ps 56,2a).

[2]Et in umbra alarum tuarum sperabo * donec transeat iniquitas (Ps 56,2b).

[3]Clamabo ad sanctissimum patrem meum altissimum * Dominum (R), qui benefecit mihi (cfr. Ps 56,3).

[4]Misit de caelo et liberavit me * dedit in opprobrium conculcantes me (Ps 56,4a-b).

[5]Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam * animam meam eripuit (Ps 56,4c-5a; R) de inimicis meis fortissimis et ab his, qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me (Ps 17,18).

[6]Laqueum paraverunt pedibus meis * et incurvaverunt animam meam (Ps 56,7a-b).

[7]Foderunt ante faciem meam foveam * et inciderunt in eam (Ps 56,7c-d).

[8]Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum * cantabo et psalmum dicam (Ps 56,8).

[9]Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara * exsurgam diluculo (Ps 56,9).

[10]Confitebor tibi in populis, Domine * et psalmum dicam tibi in gentibus (Ps 56,10).

[11]Quoniam magnificata est usque ad caelos misericordia tua * et usque ad nubes veritas tua (Ps 56,11).

[12]Exaltare super caelos Deus * et super omnem terram gloria tua (Ps 56,12).

Nota, quod praedictus psalmus semper dicitur ad primam.

## Ad Tertiam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo
Psalmus [IV]

[1]Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo * tota die impugnans tribulavit me (Ps 55,2).

[2]Conculcaverunt me inimici mei tota die * quoniam multi bellantes adversum me (Ps 55,3).

[3]Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi * verbum iniquum constituerunt adversum me (Ps 40,8b-9a; cfr. R).

[4]Qui custodiebant animam meam * consilium fecerunt in unum (Ps 70,10b).

[5]Egrediebantur foras * et loquebantur (Ps 40,7; R) in idipsum (Ps 40,8a; G).

[6]Omnes videntes me deriserunt me * locuti sunt labiis et moverunt caput (Ps 21,8).

[7]Ego autem sum vermis et non homo * opprobrium hominum et abiectio plebis (Ps 21,7).

[8]Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde * et timor notis meis (Ps 30,12a-b).

[9]Pater sancte (Joa 17, 11) ne elongaveris auxilium tuum a me * ad defensionem meam conspice (Ps 21,20).

[10]Intende in adiutorium meum * Domine Deus salutis meae (Ps 37,23).

## Ad Sextam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo
Psalmus [V]

[1]Voce mea ad Dominum clamavi * voce mea ad Dominum deprecatus sum (Ps 141,2).

[2]Effundo in conspectu eius orationem meam * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio (Ps 141,3).

[3]In deficiendo ex me spiritum meum * et tu cognovisti semitas meas (Ps 141,4a-b).

[4]In via hac qua ambulabam * absconderunt superbi laqueum mihi (Ps 141,4c-d; cfr. R).

[5]Considerabam ad dexteram et videbam * et non erat qui cognosceret me (Ps 141,5a-b).

[6]Periit fuga a me * et non est, qui requirat animam meam (Ps 141,5c-d).

[7]Quoniam propter te sustinui opprobrium * operuit confusio faciem meam (Ps 68,8).

[8]Extraneus factus sum fratribus meis * et peregrinus filiis matris meae (Ps 68,9).

[9]Pater sancte (Joa 17,11), zelus domus tuae comedit me * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me (Ps 68,10).

[10]Et adversum me laetati sunt et convenerunt * congregata sunt super me flagella et ignoravi (Ps 34,15).

[11]Multiplicati sunt super capillos capitis mei * qui oderunt me gratis (Ps 68,5a-b).

[12]Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste * quae non rapui tunc exsolvebam (Ps 68,5c-d).

[13]Surgentes testes iniqui * quae ignorabant interrogabant me (Ps 34,11).

[14]Retribuebant mihi mala pro bonis (Ps 34,12a) et detrahebant mihi * quoniam sequebar bonitatem (Ps 37,21).

[15]Tu es sanctissimus pater meus * Rex meus et Deus meus (Ps 43,5).

[16]Intende in adiutorium meum * Domine Deus salutis meae (Ps 37,23).

## Ad Nonam

*Antiphona*: Sancta Maria Virgo

Psalmus [VI]

[1]O vos omnes, qui transitis per viam * attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus (Lam 1,12a-b).

[2]Quoniam circumdederunt me canes multi * concilium malignantium obsedit me (Ps 21,17).

[3]Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me * diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem (Ps 21,18b-19).

[4]Foderunt manus meas et pedes meos * et dinumeraverunt omnia ossa mea (Ps 21,17c-18a; R).

[5]Aperuerunt super me os suum * sicut leo rapiens et rugiens (Ps 21,14).

[6]Sicut aqua effusus sum * et dispersa sunt omnia ossa mea (Ps 21,15a-b).

[7]Et factum est cor meum tamquam cera liquescens * in medio ventris mei (Ps 21,15c; R).

[8]Aruit tamquam testa virtus mea * et lingua mea adhaesit faucibus meis (Ps 21,16a-b).

[9]Et dederunt in escam meam fel * et in siti mea potaverunt me aceto (Ps 68,22).

[10]Et in pulverem mortis deduxerunt me (cfr. Ps 21,16c) * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt (Ps 68,27b).

[11]Ego dormivi et resurrexi (Ps 3, 6; R) * et pater meus sanctissimus cum gloria suscepit me (cfr. Ps 72,24c).

[12]Pater sancte (Joa 17,11) tenuisti manum dexteram meam ' et in voluntate tua deduxisti me * et cum gloria assumpsisti me (Ps 72,24; R).

[13]Quid enim mihi est in caelo * et a te quid volui super terram (Ps 72,25).

[14]Videte, videte, quoniam ego sum Deus, dicit Dominus * exaltabor in gentibus et exaltabor in terra (cfr. Ps 45,11).

[15]Benedictus Dominus Deus Israel (Lc 1,68a), qui redemit animas servorum suorum de proprio sanctissimo sanguine suo * et non derelinquet omnes qui sperant in eo (Ps 33,23; R).

[16]Et scimus, quoniam venit * quoniam veniet iustitiam iudicare (cfr. Ps 95,13b; R!).

Ad Vesperam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo
Psalmus [VII]

[1]Omnes gentes plaudite manibus * iubilate Deo in voce exsultationis (Ps 46,2).

[2]Quoniam Dominus excelsus * terribilis Rex magnus super omnem terram (Ps 46,3).

[3]Quia sanctissimus Pater de caelo, Rex noster ante saecula * misit dilectum Filium suum de alto et operatus est salutem in medio terrae (Ps 73,12).

[4]Laetentur caeli et exsultet terra ' commoveatur mare et plenitudo eius * gaudebunt campi et omnia, quae in eis sunt (Ps 95,11-12a).

[5]Cantate ei canticum novum * cantate Domino omnis terra (cfr. Ps 95,1).

[6]Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis * terribilis est super omnes deos (Ps 95,4).

[7]Afferte Domino patriae gentium ' afferte Domino gloriam et honorem * afferte Domino gloriam nomini eius (Ps 95,7-8a).

[8]Tollite corpora vestra ' et baiulate sanctam crucem eius * et sequimini usque in finem sanctissima praecepta eius (cfr. Lc 14,27; 1 Petr 2,21).

[9]Commoveatur a facie eius universa terra * dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno (Ps 95,9b-10a; G/R).

> Usque huc dicitur a feria sexta Parasceven usque ad festum Ascensionis quotidie. In festo vero Ascensionis superadduntur isti versiculi:

[10]Et ascendit ad caelos et sedet ad dexteram sanctissimi Patris in caelis exaltare super caelos Deus * et super omnem terram gloria tua (Ps 56,12).

[11]Et scimus quoniam venit * quoniam veniet iustitiam iudicare.

Et nota, quod ab Ascensione usque ad Adventum Domini dicitur eodem modo quotidie iste psalmus, scilicet: *Omnes gentes* cum supradictis versiculis dicendo ibi *Gloria Patri*, ubi finitur psalmus, scilicet: *quoniam veniet iustitiam iudicare*.

Nota quod hi psalmi supradicti dicuntur a feria sexta Parasceven usque ad dominicam Resurrectionis. Eo modo dicuntur ab octava Pentecostes usque ad Adventum Domini et ab octava Epiphaniae usque ad dominicam Resurrectionis exceptis dominicis diebus et festis principalibus, in quibus non dicuntur; aliis vero diebus quotidie dicuntur.

[Pars II: Pro tempore paschali]
In sabbato sancto,
scilicet expleto die sabbati:

Ad Completorium
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo
Psalmus [VIII]

1 Deus in adiutorium meum intende * Domine ad adiuvandum me festina.

2 Confundantur et revereantur * qui quaerunt animam meam.

3 Avertantur retrorsum et erubescant * qui volunt mihi mala.

4 Avertantur statim erubescentes * qui dicunt mihi: Euge, euge.

5 Exsultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te * et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

6 Ego vero egenus et pauper sum * Deus, adiuva me.

7 Adiutor meus et liberator meus es tu * Domine ne moreris (Ps 69,2-6).

Et dicitur quotidie ad completorium usque ad octavam Pentecostes.

Ad Matutinum Dominicae Resurrectionis
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo
Psalmus [IX]

1 Cantate Domino canticum novum * quia mirabilia fecit (Ps 97,1a-b).

2 Sacrificavit dilectum Filium suum dextera eius * et brachium sanctum suum (cfr. Ps 97,1c-d).

3 Notum fecit Dominus salutare suum * in conspectu gentium revelavit iustitiam suam (Ps 97,2).

4 In illa die mandavit Dominus misericordiam suam * et nocte canticum eius (cfr. Ps 41,9a-b).

5 Haec est dies, quam fecit Dominus * exsultemus et laetemur in ea (Ps 117,24).

[6]Benedictus qui venit in nomine Domini * Deus Dominus, et illuxit nobis (Ps 117,26a.27a).

[7]Laetentur caeli et exsultet terra ' commoveatur mare et plenitudo eius * gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt (Ps 95,11-12a).

[8]Afferte Domino patriae gentium ' afferte Domino gloriam et honorem * afferte Domino gloriam nomini eius (Ps 95,7-8a).

Usque huc dicitur a dominica Resurrectionis usque ad festum Ascensionis quotidie ad omnes horas praeter ad vesperam et ad completorium et primam. Nocte vero Ascensionis superadduntur isti versiculi:

[9]Regna terrae cantate Deo * psallite Domino (Ps 67,33a).

[10]Psallite Deo, qui ascendit super caelum caeli * ad orientem (Ps 67,33b-34a).

[11]Ecce dabit voci suae vocem virtutis ' date gloriam Deo super Israel * magnificentia eius et virtus eius in nubibus (Ps 67,34b-35).

[12]Mirabilis Deus in sanctis suis * Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus (Ps 67,36). Gloria.

Et nota, quod iste psalmus ab Ascensione Domini usque ad octavam Pentecostes dicitur quotidie cum supradictis versiculis ad matutinum, et tertiam et sextam et nonam, dicendo ibi *Gloria Patri* ubi dicitur: *benedictus Deus,* et non alibi.

Item nota, quod eodem modo dicitur solummodo ad matutinum in dominicis diebus et principalibus festis ab octava Pentecostes usque ad adventum Domini, et ab octava Epiphaniae usque ad feriam quintam Coenae Domini, quia in ipsa die cum discipulis suis Dominus pascha manducavit; vel alius psalmus potest dici ad matutinum vel ad vesperam, quando vult, scilicet: *Exaltabo te Domine* etc. [Ps 29], sicut in psalterio habetur; et hoc a dominica Resurrectionis usque ad festum Ascensionis, et non plus.

Ad Primam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: Mirerere mei, Deus, miserere mei
*ut supra* [Ps III]

Ad Tertiam, Sextam et Nonam
*dicitur Psalmus*: Cantate *ut supra* [Ps IX]

Ad Vesperam
*Psalmus*: Omnes gentes *ut supra* [Ps Vll]

[Pars III: Pro dominicis et principalibus festivitatibus]

Incipiunt alii psalmi, quos similiter ordinavit beatissimus pater noster Franciscus, qui dicendi sunt loco psalmorum supradictorum passionis Domini in dominicis diebus et

principalibus festivitatibus ab octava Pentecostes usque ad Adventum et ab octava Epiphaniae usque ad feriam quintam Coenae Domimi; sane intelligas, ut dicantur in ipsa die, quia pascha Domini est.

Ad Completorium
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: Deus in adiutorium
*sicut habetur in psalterio* [Ps VIII]

Ad Matutinum
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: Cantate *ut supra* [Ps IX]

Ad Primam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: Miserere mei Deus, miserere mei
*ut supra* [Ps III]

Ad Tertiam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
Psalmus [X]

1 Jubilate Domino omnis terra, ' psalmum dicite nomini eius * date gloriam laudi eius (cfr. Ps 65,1-2).

2 Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine * in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui (Ps 65,3).

3 Omnis terra adoret te et psallat tibi * psalmum dicat nomini tuo (Ps 65,4).

4 Venite, audite et narrabo, omnes qui timetis Deum * quanta fecit animae meae (Ps 65,16).

5 Ad ipsum ore meo clamavi * et exsultavi sub lingua mea (Ps 65,17; R).

6 Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam * et clamor meus in conspectu eius (Ps 17,7c-d).

7 Benedicite gentes Dominum nostrum * et auditam facite vocem laudi eius (cfr. 65,8).

8 Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae * omnes gentes magnificabunt eum (Ps 71,17c-d).

9 Benedictus Dominus Deus Israel * qui facit mirabilia magna solus (Ps 71,18; R).

10 Et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum * et replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat (Ps 71,19).

Ad Sextam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
Psalmus [XI]

[1]Exaudiat te Dominus in die tribulationis * protegat te nomen Dei Jacob (Ps 19,2).

[2]Mittat tibi auxilium de sancto * et de Sion tueatur te (Ps 19,3).

[3]Memor sit omnis sacrificii tui * et holocaustum tuum pingue fiat (Ps 19,4).

[4]Tribuat tibi secundum cor tuum * et omne consilium tuum confirmet (Ps 19,5).

[5]Laetabimur in salutari tuo * et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur (Ps 19,6; R).

[6]Impleat Dominus omnes petitiones tuas ' nunc cognovi, quoniam (Ps 19,7a-b) misit Dominus Jesum Christum Filium suum * et iudicabit populos in iustitia (Ps 9,9b).

[7]Et factus est Dominus refugium pauperum ' adiutor in opportunitatibus in tribulatione * et sperent in te qui noverunt nomen tuum (Ps 9,10-11a; R).

[8]Benedictus Dominus Deus meus (Ps 143,1b) ' quia factus est susceptor meus et refugium meum * in die tribulationis meae (cfr. Ps 58, 17c-d).

[9]Adiutor meus, tibi psallam ' quia Deus susceptor meus * Deus meus, misericordia mea (Ps 58,18).

Ad Nonam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
Psalmus [XII]

[1]In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum * in iustitia tua libera me et eripe me (Ps 70,1b-2a).

[2]Inclina ad me aurem tuam * et salva me (Ps 70,2b).

[3]Esto mihi in Deum protectorem ' et in locum munitum * ut salvum me facias (Ps 70,3a-b).

[4]Quoniam tu es patientia mea, Domine * Domine, spes mea a iuventute mea (Ps 70,5).

[5]In te confirmatus sum ex utero ' de ventre matris meae tu es protector meus * in te cantatio mea semper (Ps 70,6).

[6]Repleatur os meum laude ' ut cantem gloriam tuam * tota die magnitudinem tuam (Ps 70,8).

[7]Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua * secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me (Ps 68,17).

[8]Et ne avertas faciem tuam a puero tuo * quoniam tribulor, velociter exaudi me (Ps 68,18).

[9]Benedictus Dominus Deus meus (Ps 143,1b) ' quia factus est susceptor meus et refugium meum * in die tribulationis meae.

[10]Adiutor meus tibi psallam ' quia Deus susceptor meus * Deus meus, misericordia mea (Ps 58,18).

Ad Vesperam

*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.

*Psalmus*: Omnes gentes *ut supra* [Ps VII]

[Pars IV: Pro tempore Adventus Domini]

Incipiunt alii psalmi, quos similiter ordinavit beatissimus pater noster Franciscus, qui dicendi sunt loco psalmorum supradictorurm passionis Domimi ab Adventu Domini usque ad vigiliam Nativitatis et non plus.

Ad Completorium

*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.

Psalmus [XIII]

1Usquequo, Domine oblivisceris me in finem? * Usquequo avertis faciem tuam a me?

2Quamdiu ponam consilia in anima mea * dolorem in corde meo per diem?

3Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? * Respice, et exaudi me, Domine, Deus meus.

4Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte * nequando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

5Qui tribulant me, exsultabunt si motus fuero * ego autem in misericordia tua speravi.

6Exsultabit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi * et psallam nomini Domini altissimi (Ps 12,1-6).

Ad Matutinum

*Anfiphona*: Sancta Maria Virgo.

Psalmus [XIV]

1Confitebor tibi, Domine, sanctissime Pater, Rex caeli et terrae * quoniam consolatus es me (cfr. Is 12,1).

2Tu es Deus salvator meus * fiducialiter agam et non timebo (cfr. Is 12,2a-b).

3Fortitudo mea et laus mea, Dominus * et factus est mihi in salutem (Is 12,2c-d).

4Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine ' dextera tua, Domine, percussit inimicum * et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios meos (Exod 15,6-7a).

5Videant pauperes et laetentur * quaerite Deum et vivet anima vestra (Ps 68,33).

6Laudent illum caeli et terra * mare et omnia reptilia in eis (Ps 68,35).

7Quoniam Deus salvam faciet Sion * et aedificabuntur civitates Iudae (Ps 68,36a-b; R).

[8]Et inhabitabunt ibi * et haereditate acquirent eam (Ps 68,36c).

[9]Et semen servorum eius possidebit eam * et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea (Ps 68,37).

Ad Primam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: Miserere mei, Deus, miserere mei
*ut supra* [Ps III]

Ad Tertiam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: Jubilate Deo *ut supra* [Ps X]

Ad Sextam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: Exaudiat te *ut supra* [Ps XI]

Ad Nonam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: In te, Domine, speravi *ut supra* [Ps XII]

Ad Vesperam
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
*Psalmus*: Omnes gentes *ut supra* [Ps VII]

Nota etiam, quod non dicitur totus psalmus, sed usque ad versum scilicet: *Commoveatur a facie eius universa terra*; sane intelligas, ut dicatur totus versus: *Tollite corpora vestra.* Finito isto versu dicitur ibi: *Gloria Patri* et sic dicitur ad vesperam quotidie ab Adventu usque ad vigiliam Nativitatis.

[Pars V: Pro tempore Nativitatis Domini
usque ad octavam Epiphaniae]

Ad Vesperam in Nativitate Domini
*Antiphona*: Sancta Maria Virgo.
Psalmus [XV]

[1]Exsultate Deo adiutori nostro (Ps 80,2a) * iubilate Domino Deo vivo et vero in voce exsultationis (cfr. Ps 46,2b).

[2]Quoniam Dominus excelsus * terribilis Rex magnus super omnem terram (Ps 46,3).

[3]Quia sanctissimus pater de caelo, Rex noster ante saecula (Ps 73,12a) ' misit dilectum Fillum suum de alto * et natus fuit de beata virgine sancta Maria.

[4]Ipse invocavit me: Pater meus es tu (Ps 88,27a) * et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae (Ps 88,28).

[5]In illa die mandavit Dominus misericordiam suam * et nocte canticum eius (cfr. Ps 41,9a-b).

[6]Haec est dies, quam fecit Dominus * exsultemus et laetemur in ea (Ps 117,24).

[7]Quia sanctissimus puer dilectus datus est nobis ' et natus fuit pro nobis (cfr. Is 9,6) in via et positus in praesepio * quia non habebat locum in diversorio (cfr. Lc 2,7).

[8]Gloria in altissimis Domino Deo * et in terra pax hominibus bonae voluntatis (cfr. Lc 2,14).

[9]Laetentur caeli et exsultet terra ' commoveatur mare et plenitudo eius * gaudebunt campi et omnia, quae in eis sunt (Ps 95,11-12a).

[10]Cantate ei canticum novum * cantate Domino omnis terra (cfr. Ps 95,1).

[11]Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis * terribilis est super omnes deos (Ps 95,4).

[12]Afferte Domino patriae gentium ' afferte Domino gloriam et honorem * afferte Domino gloriam nomini eius (Ps 95,7-8a).

[13]Tollite corpora vestra ' et baiulate sanctam crucem eius * et sequimini usque in finem sanctissima praecepta eius (cfr. Lc 14,27; 1 Petr 2,21).

> Nota, quod iste psalmus dicitur a Nativitate Domini usque ad octavam Epiphaniae ad omnes horas. Si quis voluerit dicere hoc officium beati Francisci, ita dicat illud: primo dicat *Pater noster* cum laudibus, scilicet: *Sanctus, sanctus, sanctus*. Finitis laudibus cum oratione ut supra incipiatur antiphona: *Sancta Maria* cum psalmo, qui constitutus est unicuique horae diei et noctis. Et cum magna reverentia dicatur.

---

## **ORATIO ANTE CRUCIFIXUM DICTA** [OrCruc]

Summe, gloriose Deus, illumina tenebras cordis mei et da mihi fidem rectam, spem certam et caritatem perfectam, sensum et cognitionem, Domine, ut faciam tuum sanctum et verax mandatum.

---

## **REGULA BULLATA** [RegB]

[CAPUT I]
In nomine Domini!
Incipit vita Minorum Fratrum:

[1]Regula et Vita Minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. [2]Frater Franciscus

promittit obedientiam et reverentiam domino papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus et Ecclesiae Romanae. [3]Et alii fratres teneantur fratri Francisco et eius successoribus obedire.

### [CAPUT II]
### De his qui volunt vitam istam accipere, et qualiter recipi debeant.

[1]Si qui voluerint hanc vitam accipere et venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros provinciales, quibus solummodo et non aliis recipiendi fratres licentia concedatur. [2]Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis. [3]Et si haec omnia credant et velint ea fideliter confiteri et usque in finem firmiter observare [4]et uxores non habent vel, si habent, et iam monasterium intraverint uxores vel licentiam eis dederint auctoritate diocesani episcopi, voto continentiae iam emisso, et illius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, [5]dicant illis verbum sancti Evangelii (cfr. Mt 19,21 par), quod vadant et vendant omnia sua et ea studeant pauperibus erogare. [6]Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. [7]Et caveant fratres et eorum ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. [8]Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. [9]Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio et cingulum et braccas et caparonem usque ad cingulum, [10]nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. [11]Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam promittentes vitam istam semper et regulam observare. [12]Et nullo modo licebit eis de ista religione exire iuxta mandatum domini papae, [13]quia secundum sanctum Evangelium *nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei* (Lc 9,62). [14]Et illi qui iam promiserunt obedientiam habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio qui voluerint habere. [15]Et qui necessitate coguntur possint portare calciamenta. [16]Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur et possint ea repeciare de saccis et aliis peciis cum benedictione Dei. [17]Quos moneo et exhortor, ne despiciant neque iudicent homines, quos vident mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis, sed magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum.

### [CAPUT III]
### De divino officio et ieiunio, et quomodo fratres debeant ire per mundum.

[1]Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae excepto psalterio, [2]ex quo habere poterunt breviaria. [3]Laici vero dicant viginti quattuor *Pater noster* pro matutino, pro laude quinque, pro prima, tertia, sexta, nona, pro qualibet istarum septem, pro vesperis autem duodecim, pro completorio septem; [4]et orent pro defunctis. [5]Et ieiunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. [6]Sanctam vero quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecravit (cfr. Mt 4,2), qui voluntarie eam ieiunant benedicti sint a Domino, et qui nolunt non sint astricti. [7]Sed aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent. [8]Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare. [9]Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali. [10]Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent neque contendant verbis (cfr. 2 Tim 2,14), nec alios iudicent; [11]sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. [12]Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. [13]*In quamcumque domum* intraverint, *primum* dicant: *Pax huic domui* (cfr. Lc 10,5). [14]Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare (cfr. Lc 10,8).

[CAPUT IV]
Quod fratres non recipiant pecuniam.

[1]Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam. [2]Tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis per amicos spirituales ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire; [3]eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

[CAPUT V]
De modo laborandi.

[1]Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, [2]ita quod, excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire. [3]De mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant praeter denarios vel pecuniam [4]et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

[CAPUT VI]
Quod nihil approprient sibi fratres,
et de eleemosyna petenda et de fratribus infirmis.

[1]Fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem. [2]Et tanquam peregrini et advenae (cfr. 1 Petr 2,11) in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter, [3]nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo (cfr. 2 Cor 8,9). [4]Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, heredes et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit (cfr. Jac 2,5). [5]Haec sit *portio* vestra, quae perducit *in terram viventium* (cfr. Ps 141,6). [6]Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis. [7]Et, ubicumque sunt et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se. [8]Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam, quia, si mater nutrit et diligit filium suum (cfr. 1 Thess 2,7) carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? [9]Et, si quis eorum in infirmitate ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri (cfr. Mt 7,12).

[CAPUT VII]
De poenitentia fratribus peccantibus imponenda.

[1]Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur praedicti fratres ad eos recurrere quam citius poterint, sine mora. [2]Ipsi vero ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis poenitentiam; si vero presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. [3]Et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem.

[CAPUT VIII]
De electione generalis ministri huius fraternitatis
et de capitulo Pentecostes.

[1]Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum et servum totius fraternitatis et ei teneantur firmiter obedire. [2]Quo decedente, electio

successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum; [3]et hoc semel in tribus annis vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut a praedicto ministro fuerit ordinatum. [4]Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum, praedictum ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum, teneantur praedicti fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. [5]Post capitulum vero Pentecostes ministri et custodes possint singuli, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel fratres suos ad capitulum convocare.

## [CAPUT IX]
## De praedicatoribus.

[1]Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. [2]Et nullus fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo officium sibi praedicationis concessum. [3]Moneo quoque et exhortor eosdem fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint *examinata* et *casta* eorum *eloquia* (cfr. Ps 11,7; 17,31), ad utilitatem et aedificationem populi, [4]annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis; *quia verbum* abbreviatum fecit *Dominus super terram* (cfr. Rom 9,28).

## [CAPUT X]
## De admonitione et correctione fratrum.

[1]Fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres suos et humiliter et caritative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et regulam nostram. [2]Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. [3]Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis ministris in omnibus quae promiserunt Domino observare et non sunt contraria animae et regulae nostrae. [4]Et ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. [5]Ministri vero caritative et benigne eos recipiant et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis; [6]nam ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum. [7]Moneo vero et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant fratres *ab omni* superbia, vana gloria, invidia, *avaritia* (cfr. Lc 12,15), cura et sollicitudine huius saeculi (cfr. Mt 13,22), detractione et murmuratione, et non curent nescientes litteras litteras discere; [8]sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere Spiritum Domini et sanctam eius operationem, [9]orare semper ad eum puro corde et habere humilitatem, patientiam in persecutione et infirmitate [10]et diligere eos qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus: *Diligite inimicos vestros et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (cfr. Mt 5,44). [11]*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum* (Mt 5,10). [12]*Qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (Mt 10,22).

## [CAPUT XI]
## Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum.

[1]Praecipio firmiter fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, [2]et ne ingrediantur monasteria monacharum praeter illos, quibus a sede apostolica concessa est licentia specialis; [3]nec fiant compatres virorum vel mulierum nec hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur.

[CAPUT XII]
De euntibus inter saracenos et alios infideles.

[1]Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter saracenos et alios infideles petant inde licentiam a suis ministris provincialibus. [2]Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. [3]Ad haec per obedientiam iniungo ministris, ut petant a domino papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis, [4]ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sanctae Ecclesiae stabiles in fide (cfr. Col 1,23) catholica paupertatem et humilitatem et sanctum evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

---

## **REGULA NON BULLATA** [RegNB]

[Prologus]

[1]In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti! [2]Haec est vita evangelii Jesu Christi, quam frater Franciscus petiit a domino papa concedi et confirmari sibi; et ille concessit et confirmavit sibi et suis fratribus habitis et futuris. [3]Frater Franciscus et quicumque erit caput istius religionis promittat obedientiam domino Innocentio papae et reverentiam et suis successoribus. [4]Et omnes alii fratres teneantur obedire fratri Francisco et eius successoribus.

[Cap. I: Quod fratres debent vivere sine proprio
et in castitate et obedientia]

[1]Regula et vita istorum fratrum haec est, scilicet vivere in obedientia, in castitate et sine proprio, et Domini nostri Jesu Christi doctrinam et vestigia sequi, qui dicit: [2]«*Si vis perfectus esse, vade* (Mt 19,21) *et vende* omnia (cfr. Lc 18,22), *quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me*» (Mt 19,21). [3]Et: «*Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me*» (Mt 16, 24). [4]Item: «*Si quis vult venire ad me et non odit patrem et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*» (Lc 14,26). [5]Et: «*Omnis, qui reliquerit* patrem aut matrem, fratres aut sorores, uxorem aut filios, domos aut agros propter me, *centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit*» (cfr. Mt 19,29; Mc 10,29; Lc 18,29).

[Cap. II: De receptione et vestimentis fratrum]

[1]Si quis divina inspiratione volens accipere hanc vitam venerit ad nostros fratres, benigne recipiatur ab eis. [2]Quodsi fuerit firmus accipere vitam nostram, multum caveant sibi fratres, ne de suis temporalibus negotiis se intromittant, sed ad suum ministrum, quam citius possunt, eum repraesentent. [3]Minister vero benigne ipsum recipiat et confortet et vitae nostrae tenorem sibi diligenter exponat. [4]Quo facto, praedictus, si vult et potest spiritualiter sine impedimento, omnia sua vendat et ea omnia pauperibus studeat erogare. [5]Caveant sibi fratres et minister fratrum, quod de negotiis suis nullo modo intromittant se; [6]neque recipiant aliquam pecuniam neque per se neque per interpositam personam. [7]Si tamen indigent, alia necessaria corporis praeter pecuniam recipere possunt fratres causa necessitatis sicut alii pauperes. [8]Et cum reversus fuerit, minister concedat ei pannos probationis usque ad annum, scilicet duas tunicas sine caputio et cingulum et braccas et caparonem usque ad cingulum. [9]Finito vero anno et termino probationis recipiatur ad obedientiam. [10]Postea non licebit ei ad aliam religionem accedere neque «extra obedientiam

evagari» iuxta mandatum domini papae et secundum evangelium; quia «*nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei*» (Lc 9,62). [11]Si autem aliquis venerit, qui sua dare non potest sine impedimento et habet spiritualem voluntatem, relinquat illa, et sufficit sibi. [12]Nullus recipiatur contra formam et institutionem sanctae Ecclesiae.

[13]Alii vero fratres, qui promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, si necesse fuerit, et cingulum et braccas. [14]Et omnes fratres vilibus vestibus induantur, et possint eas repeciare de saccis et aliis peciis cum benedictione Dei; quia dicit Dominus in evangelio: «*Qui in veste pretiosa sunt et in deliciis*» (Lc 7,25) et «*qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*» (Mt 11,8). [15]Et licet dicantur hypocritae, non tamen cessent bene facere nec quaerant caras vestes in hoc saeculo, ut possint habere vestimentum in regno caelorum.

[Cap. III: De divino officio et ieiunio]

[1]Dicit Dominus: *Hoc genus* daemoniorum *non potest exire nisi in* ieiunio et oratione (cfr. Mc 9,28); [2]et iterum: «*Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritae tristes*» (Mt 6,16). [3]Propter hoc omnes fratres sive clerici sive laici faciant divinum officium, laudes et orationes, secundum quod debent facere. [4]Clerici faciant officium et dicant pro vivis et pro mortuis secundum consuetudinem clericorum. [5]Et pro defectu et negligentia fratrum dicant omni die *Miserere mei Deus* (Ps 50) cum *Pater noster*; [6]et pro fratribus defunctis dicant *De profundis* (Ps 129) cum *Pater noster.* [7]Et libros tantum necessarios ad implendum eorum officium possint habere. [8]Et laicis etiam scientibus legere psalterium liceat eis habere illud. [9]Aliis vero nescientibus litteras librum habere non liceat. [10]Laici dicant *Credo in Deum* et viginti quattuor *Pater noster* cum *Gloria Patri* pro matutino; pro laudibus vero quinque; pro prima *Credo in Deum* et septem *Pater noster* cum *Gloria Patri*; pro tertia, sexta et nona et unaquaque hora septem; pro vesperis duodecim; pro completorio *Credo in Deum* et septem *Pater noster* cum *Gloria Patri*; pro mortuis septem *Pater noster* cum *Requiem aeternam*; et pro defectu et negligentia fratrum tria *Pater noster* omni die.

[11]Et similiter omnes fratres ieiunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Natale et ab Epiphania, quando Dominus noster Jesus Christus incepit ieiunare usque ad Pascha. [12]Aliis autem temporibus non teneantur secundum hanc vitam nisi sexta feria ieiunare. [13]Et liceat eis manducare de omnibus cibis, qui apponuntur eis, secundum evangelium (cfr. Lc 10,8).

[Cap. IV: De ministris et aliis fratribus qualiter ordinentur]

[1]In nomine Domini! [2]Omnes fratres, qui constituuntur ministri et servi aliorum fratrum, in provinciis et in locis, in quibus fuerint, collocent suos fratres, quos saepe visitent et spiritualiter moneant et confortent. [3]Et omnes alii fratres mei benedicti diligenter obediant eis in his, quae spectant ad salutem animae et non sunt contraria vitae nostrae. [4]Et faciant inter se sicut dicit Dominus: «*Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines et vos facite illis*» (Mt 7,12); [5]et: «*Quod non vis tibi fieri, non facias alteri*». [6]Et recordentur ministri et servi, quod dicit Dominus: *Non* veni *ministrari, sed ministrare* (Mt 20,28) et quia commissa est eis cura animarum fratrum, de quibus, si aliquid perderetur propter eorum culpam et malum exemplum, *in die iudicii* oportebit eos *reddere rationem* (cfr. Mt 12,36) coram Domino Jesu Christo.

[Cap. V: De correctione fratrum in offensione]

[1]Ideoque animas vestras et fratrum vestrorum custodite; quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis* (Hebr 10,31). [2]Si quis autem ministrorum alicui fratrum aliquid contra vitam nostram praeciperet vel contra animam suam, non teneatur ei obedire; quia illa obedientia non

est, in qua delictum vel peccatum committitur. [3]Verumtamen omnes fratres, qui sunt sub ministris et servis, facta ministrorum et servorum considerent rationabiliter et diligenter. [4]Et si viderint aliquem illorum carnaliter et non spiritualiter ambulare pro rectitudine vitae nostrae, post tertiam admonitionem, si non se emendaverit, in capitulo Pentecostes renuntient ministro et servo totius fraternitatis nulla contradictione impediente. [5]Si vero inter fratres ubicumque fuerit aliquis frater volens carnaliter et non spiritualiter ambulare, fratres, cum quibus est, moneant eum, instruant et corripiant humiliter et diligenter. [6]Quodsi ille post tertiam admonitionem noluerit se emendare, quam citius possunt, mittant eum vel significent suo ministro et servo, qui minister et servus de eo faciat, sicut sibi secumdum Deum melius videbitur expedire.

[7]Et caveant omnes fratres tam ministri et servi quam alii, quod propter peccatum alterius vel malum non turbentur vel irascantur, quia diabolus propter delictum unius multos vult corrumpere; [8]sed spiritualiter, sicut melius possunt, adiuvent illum qui peccavit, quia *non est* sanis opus *medicus, sed male habentibus* (cfr. Mt 9,12 cum Mc 2,17).

[9]Similiter omnes fratres non habeant in hoc potestatem vel dominationem maxime inter se. [10]Sicut enim dicit Dominus in evangelio: «*Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent in eos*» (Mt 20,25), *non* sic *erit inter* fratres (cfr. Mt 20,26a). [11]Et quicumque *voluerit inter* eos *maior fieri, sit* eorum *minister* (cfr. Mt 20,26b) et servus. [12]Et *qui maior est* inter eos *fiat sicut minor* (cfr. Lc 22,26).

[13]Nec aliquis frater malum faciat vel malum dicat alteri; [14]immo magis *per caritatem spiritus* voluntarie serviant et obediant *invicem* (cfr. Gal 5,13). [15]Et haec est vera et sancta obedientia Domini nostri Jesu Christi. [16]Et omnes fratres, quoties *declinaverint a mandatis Domini* et extra obedientiam evagaverint, sicut dicit propheta (Ps 118,21), sciant se esse maledictos extra obedientiam, quousque steterint in tali peccato scienter. [17]Et quando perseveraverint in mandatis Domini, quae promiserunt per sanctum evangelium et vitam ipsorum, sciant se in vera obedientia stare, et benedicti sint a Domino.

[Cap. VI: De recursu fratrum ad ministros et quod aliquis frater non vocetur prior]

[1]Fratres, in quibuscumque locis sunt, si non possunt vitam nostram observare, quam citius possunt, recurrant ad suum ministrum hoc sibi significantes. [2]Minister vero taliter eis studeat providere, sicut ipse vellet sibi fieri, si in consimili casu esset (cfr. Mt 7,12). [3]Et nullus vocetur prior, sed generaliter omnes vocentur fratres minores. [4]Et alter alterius lavet pedes (cfr. Joa 13,14).

[Cap. VII: De modo serviendi et laborandi]

[1]Omnes fratres, in quibuscumque locis steterint apud alios ad serviendum vel laborandum, non sint camerarii neque cancellarii neque praesint in domibus, in quibus serviunt; nec recipiant aliquod officium, quod scandalum generet vel *animae suae faciat detrimentum* (cfr. Mc 8,36); [2]sed sint minores et subditi omnibus, qui in eadem domo sunt.

[3]Et fratres, qui sciunt laborare, laborent et eandem artem exerceant, quam noverint, si non fuerit contra salutem animae et honeste poterit operari. [4]Nam propheta ait: «*Labores fructuum tuorum manducabis; beatus es et bene tibi erit*» (Ps 127,2;-R); [5]et apostolus: Qui *non vult operari* non *manducet* (cfr. 2 Thess 3,10); [6]et: *Unusquisque* in ea arte et officio, *in quo vocatus est, permaneat* (cfr. 1 Cor 7,24). [7]Et pro labore possint recipere omnia necessaria praeter pecuniam. [8]Et cum necesse fuerit, vadant pro eleemosynis sicut alii pauperes. [9]Et liceat eis habere ferramenta et instrumenta suis artibus opportuna.

[10]Omnes fratres *studeant bonis operibus insudare*, quia scriptum est: Semper *facito aliquid* boni, ut te diabolus inveniat occupatum. [11]Et iterum: *Otiositas inimica est animae*. [12]Ideo servi Dei semper orationi vel alicui bonae operationi insistere debent.

[13]Caveant sibi fratres, ubicumque fuerint in eremis vel in aliis locis, quod nullum locum sibi approprient nec alicui defendant. [14]Et quicumque ad eos venerit amicus vel adversarius, fur vel latro benigne recipiatur. [15]Et ubicumque sunt fratres et in quocumque loco se invenerint, spiritualiter et diligenter debeant se revidere et honorare ad *invicem sine murmuratione* (1 Petr 4,9). [16]Et caveant sibi, quod non se ostendant tristes extrinsecus et nubilosos hypocritas; sed ostendant se *gaudentes in Domino* (cfr. Phil 4,4) et hilares et convenienter gratiosos.

[Cap. VIII: Quod fratres non recipiant pecuniam]

[1]Dominus praecipit in evangelio: *Videte, cavete ab omni* malitia et *avaritia* (cfr. Lc 12,15); [2]et: *Attendite vobis* a sollicitudine huius saeculi *et* a *curis huius vitae* (cfr. Lc 21,34).

[3]Unde nullus fratrum, ubicumque sit et quocumque vadit, aliquo modo tollat nec recipiat nec recipi faciat pecuniam aut denarios neque occasione vestimentorum nec librorum nec pro pretio alicuius laboris, immo nulla occasione, nisi propter manifestam necessitatem infirmorum fratrum; quia non debemus maiorem utilitatem habere et reputare in pecunia et denariis quam in lapidibus. [4]Et illos vult diabolus excaecare, qui eam appetunt vel reputant lapidibus meliorem. [5]Caveamus ergo nos, qui omnia relinquimus (cfr. Mt 19,27), ne pro tam modico regnum caelorum perdamus. [6]Et si in aliquo loco inveniremus denarios, de his non curemus tamquam de pulvere, quem pedibus calcamus, quia *vanitas vanitatum et omnia vanitas* (Eccle 1,2). [7]Et si forte, quod absit, aliquem fratrem contigerit pecuniam vel denarios colligere vel habere, excepta solummodo praedicta infirmorum necessitate, omnes fratres teneamus eum pro falso fratre et apostata et fure et latrone et loculos habente (cfr. Joa 12,6), nisi vere poenituerit. [8]Et nullo modo fratres recipiant nec recipi faciant nec quaerant nec quaeri faciant pecuniam pro eleemosyna neque denarios pro aliquibus domibus vel locis; neque cum persona pro talibus locis pecunias vel denarios quaerente vadant. [9]Alia autem servitia, quae non sunt contraria vitae nostrae, possunt fratres locis facere cum benedictione Dei. [10]Fratres tamen in manifesta necessitate leprosorum possunt pro eis quaerere eleemosynam. [11]Caveant tamen multum a pecunia. [12]Similiter caveant omnes fratres, ut pro nullo turpi lucro terras circueant.

[Cap. IX: De petenda eleemosyna]

[1]Omnes fratres studeant sequi humilitatem et paupertatem Domini nostri Jesu Christi et recordentur, quod nihil aliud oportet nos habere de toto mundo, nisi, sicut dicit apostolus, *habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti* sumus (cfr. 1 Tim 6,8). [2]Et debent gaudere, quando conversantur inter viles et despectas personas, inter pauperes et debiles et infirmos et leprosos et iuxta viam mendicantes. [3]Et cum necesse fuerit, vadant pro eleemosynis. [4]Et non verecundentur et magis recordentur, quia Dominus noster Jesus *Christus*, *Filius Dei vivi* (Joa 11,27) omnipotentis, *posuit faciem* suam *ut petram durissimam* (Is 50,7), nec verecundatus fuit. [5]Et fuit pauper et hospes et vixit de eleemosynis ipse et beata Virgo et discipuli eius. [6]Et quando facerent eis homines verecundiam et nollent eis dare eleemosynam, referant inde gratias Deo; quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri Jesu Christi. [7]Et sciant, quod verecundia non patientibus, sed inferentibus imputatur. [8]Et eleemosyna est hereditas et iustitia, quae debetur pauperibus, quam nobis acquisivit Dominus noster Jesus Christus. [9]Et fratres, qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt et faciunt lucrari et acquirere tribuentes; quia omnia, quae relinquent homines in mundo peribunt, sed de caritate et de eleemosynis, quas fecerunt, habebunt praemium a Domino.

[10]Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam, ut sibi necessaria inveniat et ministret. [11]Et quilibet diligat et nutriat fratrem suum, sicut mater diligit et nutrit filium suum (cfr. 1 Thess 2,7), in quibus ei Deus gratiam largietur. [12]Et *qui non manducat, manducantem non iudicet* (Rom 14,3b).

[13]Et quandocumque necessitas supervenerit, liceat universis fratribus, ubicumque fuerint, uti omnibus cibis, quos possunt homines manducare, sicut Dominus dicit de David, qui *comedit panes propositionis* (cfr. Mt 12,4), *quos non licebat manducare nisi sacerdotibus* (Mc 2,26). [14]Et recordentur, quod dicit Dominus: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae et superveniat* in vobis *repentina dies illa*; [15]*tanquam* enim laqueus *superveniet in omnes, qui sedent super faciem* orbis terrae (cfr. Lc 21,34-35). [16]Similiter etiam tempore manifestae necessitatis faciant omnes fratres de eorum necessariis, sicut eis Dominus gratiam largietur, quia necessitas non habet legem.

[Cap. X: De infirmis fratribus]

[1]Si quis fratrum in infirmitate ceciderit, ubicumque fuerit, alii fratres non dimittant eum, nisi constituatur unus de fratribus vel plures, si necesse fuerit, qui serviant ei, sicut *vellent sibi serviri* (cfr. Mt 7,12); [2]sed in maxima necessitate possunt ipsum dimittere alicui personae, quae suae debeat satisfacere infirmitati. [3]Et rogo fratrem infirmum, ut referat de omnibus gratias Creatori; et quod qualem vult eum Dominus, talem se esse desideret sive sanum sive infirmum, quia omnes, quos Deus *ad vitam praeordinavit aeternam* (cfr. Act 13,48), *flagellorum* atque infirmitatum *stimulis et compunctionis spiritu erudit*, sicut Dominus dicit: «*Ego quos amo* corrigo *et castigo*» (Apoc 3,19). [4]Et si quis turbabitur vel irascetur sive contra Deum sive contra fratres, vel si forte sollicite postulaverit medicinas nimis desiderans liberare carnem cito morituram, quae est animae inimica, a malo sibi evenit et carnalis est, et non videtur esse de fratribus, quia plus diligit corpus quam animam.

[Cap. XI: Quod fratres non blasphement nec detrahant, sed diligant se ad invicem]

[1]Et omnes fratres caveant sibi, ut non calumnientur neque contendant verbis (cfr. 2 Tim 2,14); [2]immo studeant retinere silentium, quandocumque eis Deus gratiam largietur. [3]Neque litigent inter se neque cum aliis, sed procurent humiliter respondere dicentes: Inutilis servus sum (cfr. Lc 17,10). [4]Et non irascantur, *quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio; qui dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis* (Mt 5,22). [5]Et diligant se ad invicem, sicut dicit Dominus: «*Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*» (Joa 15,12). [6]Et ostendant ex operibus (cfr. Jac 2,18) dilectionem, quam habent ad invicem, sicut dicit apostolus: «*Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*» (1 Joa 3,18). [7]*Et neminem blasphement* (cfr. Tit 3,2). [8]Non murmurent, non detrahant aliis, quia scriptum est: *Susurrones* et *detractores* Deo sunt *odibiles* (cfr. Rom 1,29). [9]Et sint modesti *omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines* (cfr. Tit 3,2). [10]Non iudicent, non condemnent. [11]Et sicut dicit Dominus, non considerent minima peccata aliorum (cfr. Mt 7,3; Lc 6,41); [12]immo magis sua recogitent *in amaritudine animae suae* (Is 38,15). [13]Et contendant *intrare per angustam portam* (Lc 13,24), quia dicit Dominus: «*Angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam; et pauci sunt, qui inveniunt eam*» (Mt 7,14).

[Cap. XII: De malo visu et frequentia mulierum]

[1]Omnes fratres, ubicumque sunt vel vadunt, caveant sibi a malo visu et frequentia mulierum. [2]Et nullus cum eis consilietur aut per viam vadat solus aut ad mensam in una paropside comedat. [3]Sacerdotes honeste loquantur cum eis dando poenitentiam vel aliud spirituale consilium. [4]Et nulla penitus mulier ab aliquo fratre recipiatur ad obedientiam, sed dato sibi consilio spirituali,

ubi voluerit, agat poenitentiam. [5]Et multum omnes nos custodiamus et omnia membra nostra munda teneamus, quia dicit Dominus: «*Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo*» (Mt 5,28); [6]et apostolus: *An* ignoratis, quia *membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* (cfr. 1 Cor 6,19); itaque qui *templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (1 Cor 3,17).

[Cap. XIII: De vitanda fornicatione]

[1]Si quis fratrum diabolo instigante fornicaretur, habitu exuatur quem pro sua turpi iniquitate amisit, et ex toto deponat et a nostra religione penitus repellatur. [2]Et postea poenitentiam faciat de peccatis (cfr. 1 Cor 5,4-5).

[Cap. XIV: Quomodo fratres debeant ire per mundum]

[1]Quando fratres vadunt per mundum, *nihil* portent per viam *neque* (cfr. Lc 9,3) sacculum (cfr. Lc 10,4) *neque peram neque panem neque pecuniam* (cfr. Lc 9,3) *neque virgam* (cfr. Mt 10,10). [2]Et *in quamcumque domum* intraverint, dicant *primum: Pax huic domui* (cfr. Lc 10,5). [3]Et *in eadem domo* manentes edant et bibant *quae apud illos sunt* (cfr. Lc 10,7). [4]Non resistant malo (cfr. Mt 5,39), sed qui eos percusserit in una maxilla, praebeant et alteram (cfr. Mt 5,39 et Lc 6,29). [5]Et *qui aufert eis vestimentum*, et *tunicam* non prohibeant (cfr. Lc 6,29). [6]*Omni petenti* se tribuant; *et qui aufert quae sua sunt*, ea non repetant (cfr. Lc 6,30).

[Cap. XV: Quod fratres non equitent]

[1]Iniungo omnibus fratribus meis tam clericis quam laicis euntibus per mundum vel morantibus in locis, quod nullo modo apud se nec apud alium nec alio aliquo modo bestiam aliquam habeant. [2]Nec eis liceat equitare, nisi infirmitate vel magna necessitate cogantur.

[Cap. XVI: De euntibus inter saracenos et alios infideles]

[1]Dicit Dominus: «*Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*». [2]Estote ergo *prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae* (Mt 10,16). [3]Unde quicumque frater voluerit ire inter saracenos et alios infideles, vadat de licentia sui ministri et servi. [4]Et minister det eis licentiam et non contradicat, si viderit eos idoneos ad mittendum; nam tenebitur Domino reddere rationem (cfr. Lc 16,2), si in hoc vel in aliis processerit indiscrete. [5]Fratres vero, qui vadunt, duobus modis inter eos possunt spiritualiter conversari. [6]Unus modus est, quod non faciant lites neque contentiones, sed sint subditi *omni humanae creaturae propter Deum* (1 Petr 2,13) et confiteantur se esse christianos. [7]Alius modus est, quod, cum viderint placere Domino, annuntient verbum Dei, ut credant Deum omnipotentem Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, creatorem omnium, redemptorem et salvatorem Filium, et ut baptizentur et efficiantur christiani, quia *quis renatus* non *fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest* intrare *in regnum Dei* (cfr. Joa 3,5).

[8]Haec et alia, quae placuerint Domino, ipsis et aliis dicere possunt, quia dicit Dominus in evangelio: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est* (Mt 10,32). [9]Et: *Qui erubuerit me et sermones meos*, et *Filius hominis erubescet* eum, *cum venerit in maiestate sua et Patris et angelorum* (cfr. Lc 9,26).

[10]Et omnes fratres, ubicumque sunt, recordentur, quod dederunt se et reliquerunt corpora sua Domino Jesu Christo. [11]Et pro eius amore debent se exponere inimicis tam visibilibus quam invisibilibus; quia dicit Dominus: *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet* eam (cfr. Lc 9,24) *in vitam aeternam* (Mt 25,46). [12]*Beati qui persecutionem patiuntur propter*

*iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum* (Mt 5,10). [13]*Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Joa 15,20). [14]Et: Si persequuntur *vos in una civitate, fugite in aliam* (cfr. Mt 10,23). [15]*Beati estis* (Mt 5, 11), *cum vos oderint homines* (Lc 6,22) et *maledixerint vobis* (Mt 5,11) et persequentur vos (cfr. l. c.) et *separaverint vos et exprobraverint et eiecerint nomen vestrum tamquam malum* (Lc 6,22) et cum *dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me* (Mt 5,11). [16]*Gaudete in illa die et exsultate* (Lc 6,23), *quoniam merces vestra*, multa *est in caelis* (cfr. Mt 5,12). [17]Et ego *dico vobis amicis meis, non terreamini ab his* (cfr. Lc 12,4), [18]*et nolite timere eos qui occidunt corpus* (Mt 10,28) *et post* hoc *non habent amplius quid faciant* (Lc 12,4). [19]Videte, ne turbemini (Mt 24,6). [20]*In patientia* enim *vestra* possidebitis animas vestras (Lc 21,19); [21]et *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Mt 10,22; 24,13).

[Cap. XVII: De praedicatoribus]

[1]Nullus frater praedicet contra formam et institutionem sanctae Ecclesiae et nisi concessum sibi fuerit a ministro suo. [2]Et caveat sibi minister, ne alicui indiscrete concedat. [3]Omnes tamen fratres operibus praedicent. [4]Et nullus minister vel praedicator appropriet sibi ministerium fratrum vel officium praedicationis, sed quacumque hora ei iniunctum fuerit, sine omni contradictione dimittat suum officium.

[5]Unde deprecor in caritate, quae Deus est (cfr. 1 Joa 4,16), omnes fratres meos praedicatores, oratores, laboratores, tam clericos quam laicos, ut studeant se humiliare in omnibus, [6]non gloriari nec in se gaudere nec interius se exaltare de bonis verbis et operibus, immo de nullo bono, quod Deus facit vel dicit et operatur in eis aliquando et per ipsos, secundum quod dicit Dominus: «*Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiciuntur*» (Lc 10,20). [7]Et firmiter sciamus, quia non pertinent ad nos nisi vitia et peccata. [8]Et magis debemus gaudere, *cum in tentationes varias* incideremus (cfr. Jac 1,2) et cum sustineremus quascumque animae vel corporis angustias aut tribulationes in hoc mundo propter vitam aeternam.

[9]Omnes ergo fratres caveamus ab omni superbia et vana gloria. [10]Et custodiamus nos a sapientia huius mundi et a *prudentia carnis* (Rom 8,6). [11]Spiritus enim carnis vult et studet multum ad verba habenda, sed parum ad operationem; [12]et quaerit non religionem et sanctitatem in interiori spiritu, sed vult et desiderat habere religionem et sanctitatem foris apparentem hominibus. [13]Et isti sunt, de quibus dicit Dominus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (Mt 6,2). [14]Spiritus autem Domini vult mortificatam et despectam, vilem et abiectam esse carnem. [15]Et studet ad humilitatem et patientiam et puram et simplicem et veram pacem spiritus. [16]Et semper super omnia desiderat divinum timorem et divinam sapientiam et divinum amorem Patris et Filii et Spiritus Sancti.

[17]Et omnia bona Domino Deo altissimo et summo reddamus et omnia bona ipsius esse cognoscamus et de omnibus ei gratias referamus, *a quo bona cuncta procedunt.* [18]Et ipse altissimus et summus, solus verus Deus habeat et ei reddantur et ipse recipiat omnes honores et reverentias, omnes laudes et benedictiones, omnes gratias et gloriam, cuius est omne bonum, qui solus est bonus (cfr. Lc 18,19).

[19]Et quando nos videmus vel audimus malum dicere vel facere vel blasphemare Deum, nos bene dicamus et bene faciamus et laudemus Deum (cfr. Rom 12,21), *qui est benedictus in saecula* (Rom 1,25).

[Cap. XVIII: Qualiter ministri conveniant ad invicem]

[1]Quolibet anno unusquisque minister cum fratribus suis possit convenire, ubicumque placuerit eis, in festo sancti Michaelis archangeli de his quae ad Deum pertinent, tractaturus. [2]Omnes enim

ministri, qui sunt in ultramarinis et ultramontanis partibus, semel in tribus annis, et alii ministri semel in anno veniant ad capitulum Pentecostes apud ecclesiam sanctae Mariae de Portiuncula, nisi a ministro et servo totius fraternitatis aliter fuerit ordinatum.

### [Cap. XIX: Quod fratres vivant catholice]

[1]Omnes fratres sint catholici, vivant et loquantur catholice. [2]Si quis vero erraverit a fide et vita catholica in dicto vel in facto et non se emendaverit, a nostra fraternitate penitus expellatur. [3]Et omnes clericos et omnes religiosos habeamus pro dominis in his quae spectant ad salutem animae et a nostra religione non deviaverint, et ordinem et officium eorum et administrationem in Domino veneremur.

### [Cap. XX: De poenitentia et receptione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi]

[1]Et fratres mei benedicti tam clerici quam laici confiteantur peccata sua sacerdotibus nostrae religionis. [2]Et si non potuerint, confiteantur aliis discretis et catholicis sacerdotibus scientes firmiter et attendentes, quia a quibuscumque sacerdotibus catholicis acceperint poenitentiam et absolutionem, absoluti erunt procul dubio ab illis peccatis, si poenitentiam sibi iniunctam procuraverint humiliter et fideliter observare. [3]Si vero tunc non potuerint habere sacerdotem, confiteantur fratri suo, sicut dicit apostolus Jacobus: «*Confitemini alterutrum peccata vestra*» (Jac 5,16). [4]Non tamen propter hoc dimittant recurrere ad sacerdotem, quia potestas ligandi et solvendi solis sacerdotibus est concessa. [5]Et sic contriti et confessi sumant corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi cum magna humilitate et veneratione recordantes, quod Dominus dicit: *Qui manducat* carnem meam *et bibit* sanguinem meum *habet vitam aeternam* (cfr. Joa 6,55); [6]et: «*Hoc facite in meam commemorationem*» (Lc 22,19).

### [Cap. XXI: De laude et exhortatione, quam possunt omnes fratres facere]

[1]Et hanc vel talem exhortationem et laudem omnes fratres mei, quandocumque placuerit eis, annuntiare possunt inter quoscumque homines cum benedictione Dei: [2]Timete et honorate, laudate et benedicite, *gratias agite* (1 Thess 5,18) et adorate Dominum Deum omnipotentem in trinitate et unitate, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, creatorem omnium. [3]Agite poenitentiam (cfr. Mt 3,2), facite dignos fructus poenitentiae (cfr. Lc 3,8), quia cito moriemur. [4]*Date et dabitur vobis* (Lc 6,38). [5]*Dimittite et* dimittetur vobis (cfr. Lc 6,37). [6]Et *si non dimiseritis hominibus peccata eorum* (Mt 6,14), Dominus non *dimittet vobis peccata vestra* (Mc 11,25); confitemini omnia peccata vestra (cfr. Jac 5,16). [7]Beati qui moriuntur in poenitentia, quia erunt in regno caelorum. [8]Vae illis qui non moriuntur in poenitentia, quia erunt *filii diaboli* (1 Joa 3,10), cuius opera faciunt (cfr. Joa 8,41) et ibunt *in ignem aeternum* (Mt 18,8; 25,41). [9]Cavete et abstinete ab omni malo et perseverate usque in finem in bono.

### [Cap. XXII: De admonitione fratrum]

[1]Attendamus, omnes fratres, quod dicit Dominus: *Diligite inimicos vestros* et *benefacite his qui oderunt vos* (cfr. Mt 5,44 par.), [2]quia Dominus noster Jesus Christus, cuius sequi vestigia debemus (cfr. 1 Petr 2,21), traditorem suum vocavit amicum (cfr. Mt 26,50) et crucifixoribus suis sponte se obtulit. [3]Amici igitur nostri sunt omnes illi, qui nobis iniuste inferunt tribulationes et angustias, verecundias et iniurias, dolores et tormenta, martyrium et mortem; [4]quos multum diligere debemus, quia ex hoc quod nobis inferunt, habemus vitam aeternam.

[5]Et odio habeamus corpus nostrum cum vitiis et peccatis suis; quia carnaliter vivendo vult diabolus a nobis auferre amorem Jesu Christi et vitam aeternam et se ipsun cum omnibus perdere

in infernum; [6]quia nos per culpam nostram sumus foetidi, miseri et bono contrarii, ad mala autem prompti et voluntarii, quia sicut Dominus dicit in evangelio: [7]De corde procedunt et exeunt cogitationes malae, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, falsa testimonia, blasphemia, stultitia (cfr. Mc 7,21-22; Mt 15,19). [8]*Haec omnia mala ab intus* de corde hominis *procedunt* (cfr. Mc 7,23) et *haec sunt quae coinquinant hominem* (Mt 15,20).

[9]Nunc autem, postquam dimisimus mundum, nihil aliud habemus facere, nisi sequi voluntatem Domini et placere sibi ipsi. [10]Multum caveamus, ne simus terra secus viam vel petrosa vel spinosa, secundum quod dicit Dominus in evangelio: [11]*Semen est verbum Dei* (Lc 8,11). [12]Quod autem *secus viam cecidit et conculcatum est* (cfr. Lc 8,5), *hi sunt, qui audiunt* (Lc 8,12) *verbum et non* intelligunt (cfr. Mt 13,19); [13]et *confestim* (Mc 4,15) *venit diabolus* (Lc 8,12) *et rapit* (Mt 13,19), *quod seminatum est in cordibus eorum* (Mc 4,15) et *tollit verbum de* cordibus *eorum, ne credentes salvi fiant* (Lc 8,12). [14]Quod *autem super petrosam* cecidit (cfr. Mt 13,20), *hi sunt, qui, cum audierint verbum, statim cum gaudio* (Mc 4,16) *suscipiunt* (Lc 8,13) *illud* (Mc 4,16). [15]*Facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur* (Mt 13,21) et hi radicem in se non habent, *sed temporales sunt* (cfr. Mc 4,17), quia *ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt* (Lc 8,13). [16]*Quod autem in spinis cecidit, hi sunt* (Lc 8,14), *qui verbum* Dei *audiunt* (cfr. Mc 4,18), *et sollicitudo* (Mt 13,22) et *aerumnae* (Mc 4,19) *istius saeculi et fallacia divitiarum* (Mt 13,22) *et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum et sine fructu* efficiuntur (cfr. Mc 4,19). [17]*Quod autem in terram bonam* (Lc 8,15) *seminatum est* (Mt 13,23), *hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum* (Lc 8,15) intelligunt et (cfr. Mt 13,23) *retinent et fructum afferunt in patientia* (Lc 8,15). [18]Et propterea nos fratres, sicut dicit Dominus, dimittamus *mortuos sepelire mortuos suos* (Mt 8,22).

[19]Et multum caveamus a malitia et subtilitate satanae, qui vult, quod homo mentem suam et cor non habeat ad Deum. [20]Et circuiens desiderat cor hominis sub specie alicuius mercedis vel adiutorii tollere et suffocare verbum et praecepta Domini a memoria et volens cor hominis per saecularia negotia et curam excaecare et ibi habitare, sicut dicit Dominus: [21]*Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida* (Mt 12,43) *et inaquosa quaerens requiem*; [22]*et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi* (Lc 11,24). [23]*Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam* (Mt 12,44). [24]Et *vadit et assumit* alios *septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et* sunt *novissima hominis illius peiora prioribus* (cfr. Lc 11,26).

[25]Unde, omnes fratres. custodiamus nos multum, ne sub specie alicuius mercedis vel operis vel adiutorii perdamus vel tollamus nostram mentem et cor a Domino. [26]Sed in sancta caritate, quae Deus est (cfr. 1 Joa 4,16), rogo omnes fratres tam ministros quam alios, ut omni impedimento remoto et omni cura et sollicitudine postposita, quocumque modo melius possunt, servire, amare, honorare et adorare Dominum Deum mundo corde et pura mente faciant, quod ipse super omnia quaerit. [27]Et semper faciamus ibi habitaculum et mansionem (cfr. Joa 14,23) ipsi, qui est Dominus Deus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui dicit: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia* mala, *quae ventura sunt et stare ante Filium hominis* (Lc 21,36). [28]*Et cum stabitis ad orandum* (Mc 11,25) *dicite* (Lc 11,2): *Pater noster qui es in caelis* (Mt 6,9). [29]Et adoremus eum puro corde, *quoniam oportet semper orare et non deficere* (Lc 18,1); [30]*nam Pater tales quaerit* adoratores. [31]*Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet* eum *adorare* (cfr. Joa 4,23-24). [32]Et ad ipsum recurramus tamquam *ad pastorem et episcopum animarum* nostrarum (1 Petr 2,25), qui dicit: *Ego sum pastor bonus, qui pasco oves meas et pro ovibus meis pono animam meam.* [33]*Omnes vos fratres estis;* [34]*et patrem nolite* vobis vocare *super terram, unus est enim Pater vester, qui in caelis est.* [35]*Nec vocemini magistri*; unus est enim magister vester, qui in caelis est (cfr. Mt 23,8-10). [36]*Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis*

(Joa 15,7). [37]*Ubicumque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Mt 18,20). [38]*Ecce ego* sum vobiscum *usque ad consummationem saeculi* (Mt 28,20). [39]*Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (Joa 6,64). [40]*Ego sum via, veritas et vita* (Joa 14,6).

[41]Teneamus ergo verba, vitam et doctrinam et sanctum eius evangelium, qui dignatus est pro nobis rogare Patrem suum et nobis eius nomen manifestare dicens: *Pater clarifica nomen tuum* (Joa 12,28a) et *clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Joa 17,1b). [42]Pater, *manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi* (Joa 17,6); *quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt et cognoverunt, quia a te exivi et crediderunt, quia tu me misisti.* [43]*Ego pro eis rogo, non pro mundo,* [44]*sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt et omnia mea tua sunt* (Joa 17,8-10). [45]*Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut* ipsi *sint unum sicut et nos* (Joa 17,11b). [46]*Haec loquor in mundo, ut habeant gaudium in semetipsis.* [47]*Ego dedi eis sermonem tuum; et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.* [48]*Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo* (Joa 17,13b-15). [49]Mirifica *eos in veritate.* [50]*Sermo tuus veritas est.* [51]*Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* [52]*Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate.* [53]*Non pro eis rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt* propter *verbum eorum in me* (cfr. Joa 17,17-20), *ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut me dilexisti* (Joa 17,23). [54]*Et notum* faciam *eis nomen tuum, ut dilectio, qua dilexisti me* sit in ipsis *et ego in ipsis* (cfr. Joa 17,26). [55]*Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi* ego sum, *et illi sint mecum, ut videant claritatem* tuam (cfr. Joa 17,24) *in regno tuo* (Mt 20,21). Amen.

## [Cap. XXIII: Oratio et gratiarum actio]

[1]Omnipotens, sanctissime, altissime et summe Deus, *Pater sancte* (Joa 17,11) et iuste, *Domine* rex *caeli et terrae* (cfr. Mt 11,25), propter temetipsum gratias agimus tibi, quod per sanctam voluntatem tuam et per unicum Filium tuum cum Spiritu Sancto creasti omnia spiritualia et corporalia et nos *ad imaginem tuam et similitudinem* factos *in paradiso posuisti* (cfr. Gen 1,26; 2,15). [2]Et nos per culpam nostram cecidimus. [3]Et gratias agimus tibi, quia, sicut per Filium tuum nos creasti, sic per sanctam dilectionem tuam, *qua dilexisti* nos (cfr. Joa 17,26), ipsum verum Deum et verum hominem ex gloriosa semper Virgine beatissima sancta Maria nasci fecisti et per crucem et sanguinem et mortem ipsius nos captivos redimi voluisti. [4]Et gratias agimus tibi, quia ipse Filius tuus venturus est in gloria maiestatis suae mittere maledictos, qui poenitentiam non egerunt et te non cognoverunt, in ignem aeternum, et dicere omnibus, qui te cognoverunt et adoraverunt et tibi servierunt in poenitentia: *Venite, benedicti Patris mei*, pericipite *regnum*, quod *vobis paratum* est ab origine *mundi* (cfr. Mt 25,34).

[5]Et quia nos omnes miseri et peccatores non sumus digni nominare te, suppliciter exoramus, ut Dominus noster Jesus Christus *Filius* tuus *dilectus, in quo* tibi *bene* complacuit (cfr. Mt 17,5), una cum Spiritu Sancto Paraclito gratias agat tibi, sicut tibi et ipsi placet, pro omnibus, qui tibi semper sufficit ad omnia, per quem nobis tanta fecisti. Alleluia.

[6]Et gloriosam matrem beatissimam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem, Gabrielem et Raphaelem et omnes choros beatorum seraphim, cherubim, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum (cfr. Col 1,15), virtutum, angelorum, archangelorum, beatum Joannem Baptistam, Joannem Evangelistam, Petrum, Paulum et beatos patriarchas, prophetas, Innocentes, apostolos, evangelistas, discipulos, martyres, confessores, virgines, beatos Eliam et Enoch et omnes sanctos, qui fuerunt et erunt et sunt propter tuum amorem humiliter deprecamur, ut, sicut tibi placet, pro his tibi gratias referant summo vero Deo, aeterno et vivo, cum Filio tuo carissimo Domino nostro Jesu Christo et Spiritu Sancto Paraclito *in saecula saeculorum* (Apoc 19,3). *Amen. Alleluia* (Apoc 19,4).

[7]Et Domino Deo universos intra sanctam ecclesiam catholicam et apostolicam servire volentes et omnes sequentes ordines: sacerdotes, diaconos, subdiaconos, acolythos, exorcistas, lectores, ostiarios et omnes clericos, universos religiosos et religiosas, omnes conversos et parvulos, pauperes et egenos, reges et principes, laboratores et agricolas, servos et dominos, omnes virgines et continentes et maritatas, laicos, masculos et feminas, omnes infantes, adolescentes, iuvenes et senes, sanos et infirmos, omnes pusillos et magnos, et omnes populos, gentes, tribus et linguas (cfr. Apoc 7,9), omnes nationes et omnes homines ubicumque terrarum, qui sunt et erunt, humiliter rogamus et supplicamus nos omnes fratres minores, *servi inutiles* (Lc 17,10), ut omnes in vera fide et poenitentia perseveremus, quia aliter nullus salvari potest.

[8]Omnes diligamus *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute* (cfr. Mc 12,30) *et fortitudine, ex toto intellectu* (cfr. Mc 12,33), *ex omnibus viribus* (cfr. Lc 10,27), toto nisu, toto affectu, totis visceribus, totis desideriis et voluntatibus *Dominum Deum* (Mc 12,30 par.), qui totum corpus, totam animam et totam vitam dedit et dat omnibus nobis, qui nos creavit, redemit et sua sola misericordia salvabit (cfr. Tob 13,5), qui nobis miserabilibus et miseris, putridis et foetidis, ingratis et malis omnia bona fecit et facit.

[9]Nihil ergo aliquid aliud desideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat et delectet nos nisi Creator et Redemptor et Salvator noster, solus verus Deus, qui est plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum et summum bonum, qui *solus* est *bonus* (cfr. Lc 18,19), pius, mitis, suavis et dulcis, qui solus est sanctus, iustus, verus, sanctus et rectus, qui solus est benignus, innocens, mundus, a quo et per quem et in quo (cfr. Rom 11,36) est omnis venia, omnis gratia, omnis gloria omnium poenitentium et iustorum, ommium beatorum in caelis congaudentium. [10]Nihil ergo impediat, nihil separet, nihil interpolet. [11]Ubique nos omnes omni loco, omni hora et omni tempore, quotidie et continue credamus veraciter et humiliter et in corde teneamus et amemus, honoremus, adoremus, serviamus, laudemus et benedicamus, glorificemus et superexaltemus, magnificemus et gratias agamus altissimo et summo Deo aeterno, trinitati et unitati, Patri et Filio et Spiritui Sancto, creatori omnium et salvatori omnium in se credentium et sperantium et diligentium eum, qui sine initio et sine fine immutabilis, invisibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, investigabilis (cfr. Rom 11,33), benedictus, laudabilis, gloriosus, superexaltatus (cfr. Dan 3,52), sublimis, excelsus, suavis, amabilis, delectabilis et totus super omnia desiderabilis in saecula. Amen.

### [Cap. XXIV: Conclusio]

[1]In nomine Domini! Rogo omnes fratres, ut addiscant tenorem et sensum eorum quae in ista vita ad salvationem animae nostrae scripta sunt, et ista frequenter ad memoriam reducant. [2]Et exoro Deum, ut ipse, qui est omnipotens, trinus et unus, benedicat omnes docentes, discentes, habentes, recordantes et operantes ista, quoties repetunt et faciunt quae ibi ad salutem animae nostrae scripta sunt, [3]et deprecor omnes cum osculo pedum, ut multum diligant, custodiant et reponant. [4]Et ex parte Dei omnipotentis et domini papae et per obedientiam ego frater Franciscus firmiter praecipio et iniungo, ut ex his, quae in ista vita scripta sunt, nullus minuat vel in ipsa scriptum aliquod desuper addat (cfr. Deut 4,2; 12,32), nec aliam regulam fratres habeant.

[5]Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

---

## **REGULA PRO EREMITORIIS DATA** [RegEr]

[1]Illi, qui volunt religiose stare in eremis sint tres fratres vel quattuor ad plus; duo ex ipsis sint matres et habeant duos filios vel unum ad minus. [2]Isti duo, qui sunt matres, teneant vitam Marthae et duo filii teneant vitam Mariae (cfr. Lc 10,38-42) et habeant unum claustrum, in quo unusquisque habeat cellulam suam, in qua oret et dormiat. [3]Et semper dicant completorium de die statim post occasum solis; et studeant retinere silentium; et dicant horas suas; et in matutinis surgant et *primum* quaerant *regnum Dei et iustitiam eius* (Mt 6,33). [4]Et dicant primam hora, qua convenit et post tertiam absolvant silentium; et possint loqui et ire ad matres suas. [5]Et, quando placuerit, possint petere ab eis eleemosynam sicut parvuli pauperes propter amorem Domini Dei. [6]Et postea dicant sextam et nonam; et vesperas dicant hora qua convenit. [7]Et in claustro, ubi morantur, non permittant aliquam personam introire et neque ibi comedant. [8]Isti fratres, qui sunt matres, studeant manere remote ab omni persona; et per obedientiam sui ministri custodiant filios suos ab omni persona, ut nemo possit loqui cum eis. [9]Et isti filii non loquantur cum aliqua persona nisi cum matribus suis et cum ministro et custode suo, quando placuerit eos visitare cum benedictione Domini Dei. [10]Filii vero quandoque officium matrum assumant, sicut vicissitudinaliter eis pro tempore visum fuerit disponendum; quod omnia supradicta sollicite et studiose studeant observare.

---

## **SALUTATIO BEATAE MARIAE VIRGINIS** [SalBMV]

[1]Ave Domina, sancta Regina, sancta Dei genetrix Maria, quae es virgo ecclesia facta [2]et electa a sanctissimo Patre de caelo, quam consecravit cum sanctissimo dilecto Filio suo et Spiritu sancto Paraclito, [3]in qua fuit et est omnis plenitudo gratiae et omne bonum. [4]Ave palatium eius; ave tabernaculum eius; ave domus eius. [5]Ave vestimentum eius; ave ancilla eius; ave mater eius [6]et vos omnes sanctae virtutes, quae per gratiam et illuminationem Spiritus sancti infundimini in corda fidelium, ut de infidelibus fideles Deo faciatis.

---

## **SALUTATIO VIRTUTUM** [SalVirt]

[1]Ave, regina sapientia, Dominus te salvet cum tua sorore sancta pura simplicitate. [2]Domina sancta paupertas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta humilitate. [3]Domina sancta caritas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta obedientia. [4]Sanctissimae virtutes, omnes vos salvet Dominus, a quo venitis et proceditis.

[5]Nullus homo est penitus in toto mundo, qui unam ex vobis possit habere, nisi prius moriatur. [6]Qui unam habet et alias non offendit, omnes habet. [7]Et qui unam offendit, nullam habet et omnes offendit (cfr. Jac 2,10). [8]Et unaquaque confundit vitia et peccata.

[9]Sancta sapientia confundit satan et omnes malitias eius. [10]Pura sancta simplicitas confundit omnem sapientiam huius mundi (cfr. 1 Cor 2,6) et sapientiam corporis. [11]Sancta paupertas confundit cupiditatem et avaritiam et curas huius saeculi. [12]Sancta humilitas confundit superbiam et omnes homines, qui sunt in mundo, similiter et omnia, quae in mundo sunt. [13]Sancta caritas confundit omnes diabolicas et carnales tentationes et omnes carnales timores (cfr. 1 Joa 4,18). [14]Sancta obedientia confundit omnes corporales et carnales voluntates [15]et habet mortificatum corpus suum ad obedientiam spiritus et ad obedientiam fratris sui [16]et est subditus et suppositus

omnibus hominibus, qui sunt in mundo, [17]et non tantum solis hominibus, sed etiam omnibus bestiis et feris, [18]ut possint facere de eo, quicquid voluerint, quantum fuerit eis *datum desuper* a Domino (cfr. Joa 19,11).

---

## **TESTAMENTUM** [Test]

[1]Dominus ita dedit mihi fratri Francisco incipere faciendi poenitentiam: quia, cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos. [2]Et ipse Dominus conduxit me inter illos et feci misericordiam cum illis. [3]Et recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animi et corporis; et postea parum steti et exivi de saeculo. [4]Et Dominus dedit mihi talem fidem in ecclesiis, ut ita simpliciter orarem et dicerem: [5]*Adoramus te*, Domine Jesu *Christe* et ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, *et benedicimus tibi, quia per* sanctam *crucem tuam redimisti mundum*. [6]Postea Dominus dedit mihi et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae ecclesiae Romanae propter ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. [7]Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes huius saeculi, in parochiis, quibus morantur, nolo praedicare ultra voluntatem ipsorum. [8]Et ipsos et omnes alios volo timere, amare et honorare sicut meos dominos. [9]Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in ipsis, et domini mei sunt. [10]Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso altissimo Filio Dei, nisi sanctissimum corpus et sanctissimum sanguinem suum, quod ipsi recipiunt et ipsi soli aliis ministrant. [11]Et haec sanctissima mysteria super omnia volo honorari, venerari et in locis pretiosis collocari. [12]Sanctissima nomina et verba eius scripta, ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere et rogo, quod colligantur et in loco honesto collocentur. [13]Et omnes theologos et qui ministrant sanctissima verba divina, debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam (cfr. Joa 6,64).

[14]Et postquam Dominus dedit mihi de fratribus, nemo ostendebat mihi, quid deberem facere, sed ipse Altissimus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti Evangelii. [15]Et ego paucis verbis et simpliciter feci scribi et dominus papa confirmavit mihi. [16]Et illi qui veniebant ad recipiendam vitam, *omnia quae habere poterant* (Tob 1,3), dabant pauperibus; et erant contenti tunica una, intus et foris repeciata, cum cingulo et braccis. [17]Et nolebamus plus habere. [18]Officium dicebamus clerici secundum alios clericos, laici dicebant: *Pater noster*; et satis libenter manebamus in ecclesiis. [19]Et eramus idiotae et subditi omnibus. [20]Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare; et omnes alii fratres firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. [21]Qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter exemplum et ad repellendam otiositatem. [22]Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. [23]Salutationem mihi Dominus revelavit, ut diceremus: Dominus det tibi pacem. [24]Caveant sibi fratres, ut ecclesias, habitacula paupercula et omnia, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem, quam in regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut advenae et peregrini (cfr. 1 Petr 2,11). [25]Praecipio firmiter per obedientiam fratribus universis, quod ubicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in curia Romana per se neque per interpositam personam, neque pro ecclesia neque pro alio loco neque sub specie praedicationis neque pro persecutione suorum corporum; [26]sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam poenitentiam cum benedictione Dei.

[27]Et firmiter volo obedire ministro generali huius fraternitatis et alio guardiano, quem sibi placuerit mihi dare. [28]Et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra

obedientiam et voluntatem suam, quia dominus meus est. [29]Et quamvis sim simplex et infirmus, tamen semper volo habere clericum, qui mihi faciat officium, sicut in regula continetur. [30]Et omnes alii fratres teneantur ita obedire guardianis suis et facere officium secundum regulam. [31]Et qui inventi essent, quod non facerent officium secundum regulam, et vellent alio modo variare, aut non essent catholici, omnes fratres, ubicumque sunt, per obedientiam teneantur, quod ubicumque invenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant repraesentare. [32]Et custos firmiter teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicuti hominem in vinculis die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus suis, donec propria sua persona ipsum repraesentet in manibus sui ministri. [33]Et minister firmiter teneatur per obedientiam mittendi ipsum per tales fratres, quod die noctuque custodiant ipsum sicuti hominem in vinculis, donec repraesentent ipsum coram domino Ostiensi, qui est dominus, protector et corrector totius fraternitatis. [34]Et non dicant fratres: Haec est alia regula; quia haec est recordatio, admonitio, exhortatio et meum testamentum, quod ego frater Franciscus parvulus facio vobis fratribus meis benedictis propter hoc, ut regulam, quam Domino promisimus, melius catholice observemus.

[35]Et generalis minister et omnes alii ministri et custodes per obedientiam teneantur, in istis verbis non addere vel minuere. [36]Et semper hoc scriptum habeant secum iuxta regulam. [37]Et in omnibus capitulis, quae faciunt, quando legunt regulam, legant et ista verba. [38]Et omnibus fratribus meis clericis et laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in regula neque in istis verbis dicendo: Ita volunt intelligi. [39]Sed sicut dedit mihi Dominus simpliciter et pure dicere et scribere regulam et ista verba, ita simpliciter et sine glossa intelligatis et cum sancta operatione observetis usque in finem.

[40]Et quicumque haec observaverit, in caelo repleatur benedictione altissimi Patris et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui cum sanctissimo Spiritu Paraclito et omnibus virtutibus caelorum et omnibus sanctis. [41]Et ego frater Franciscus parvulus, vester servus, quantumcumque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem.

---

## **TESTAMENTUM SENIS FACTUM** [TestSen]

[1]Scribe qualiter benedico cunctis fratribus meis, qui sunt in religione et qui venturi erunt usque ad finem saeculi... [2]Quoniam propter debilitatem et dolorem infirmitatis loqui non valeo, breviter in istis tribus verbis patefacio fratribus meis voluntatem meam, videlicet: [3]ut in signum memoriae meae benedictionis et mei testamenti semper diligant se ad invicem, [4]semper diligant et observent dominam nostram sanctam paupertatem, [5]et ut semper praelatis et omnibus clericis sanctae matris ecclesiae fideles et subiecti exsistant.

---

## **ULTIMA VOLUNTAS SCRIPTA S. CLARAE** [UltVol]

[1]Ego frater Franciscus parvulus volo sequi vitam et paupertatem altissimi Domini nostri Jesu Christi et eius sanctissimae matris et perseverare in ea usque in finem; [2]et rogo vos, dominas meas, et consilium do vobis, ut in ista sanctissima vita et paupertate semper vivatis. [3]Et custodite vos multum, ne doctrina vel consilio alicuius ab ipsa in perpetuum ullatenus recedatis.

## **DE VERA ET PERFECTA LAETITIA** [VPLaet]

[1]Idem [fr. Leonardus] retulit ibidem quod una die beatus Franciscus apud Sanctam Mariam vocavit fratrem Leonem et dixit: Frater Leo, scribe. [2]Qui respondit: Ecce paratus sum. [3]Scribe - inquit- quae est vera laetitia. [4]Venit nuntius et dicit quod omnes magistri de Parisiis venerunt ad Ordinem, scribe, non vera laetitia. [5]Item quod omnes praelati ultramontani, archiepiscopi et episcopi; item quod rex Franciae et rex Angliae: scribe, non vera laetitia. [6]Item, quod fratres mei iverunt ad infideles et converterunt eos omnes ad fidem; item, quod tantam gratiam habeo a Deo quod sano infirmos et facio multa miracula: dico tibi quod in his omnibus non vera laetitia. [7]Sed quae est vera laetitia? [8]Redeo de Perusio et de nocte profunda venio huc et est tempus hiemis lutosum et adeo frigidum, quod dondoli aquae frigidae congelatae fiunt ad extremitates tunicae et percutiunt semper crura, et sanguis emanat ex vulneribus talibus. [9]Et totus in luto et frigore et glacie venio ad ostium, et postquam diu pulsavi el vocavi, venit frater et quaerit: Quis est? Ego respondeo: Frater Franciscus. [10]Et ipse dicit: Vade; non est hora decens eundi; non intrabis. [11]Et iterum insistenti respondeat: Vade, tu es unus simplex et idiota; admodo non venis nobis; nos sumus tot et tales, quod non indigemus te. [12]Et ego iterum sto ad ostium et dico: Amore Dei recolligatis me ista nocte. [13]Et ille respondeat: Non faciam. [14]Vade ad locum Cruciferorum et ibi pete. [15]Dico tibi quod si patientiam habuero et non fuero motus, quod in hoc est vera laetitia et vera virtus et salus animae.